This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

La 76.105

Harvard College Library

FROM

By Exchange

Lat. 6. 105

QVAESTIONES NEOTERICAE

IMPRIMIS AD AVSONIVM PERTINENTES

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

IOH. KVRT WAGNER
BŒHRIGENENSIS

LIPSIAE
TYPIS ROBERTI NOSKE BORNENSIS
1907

La76.105

Harvard College Library
DEC 1 ' 1907

RETTVLERVNT AD ORDINIS PHILOLOGOS DE HAC DISSERTATIONE

R. HEINZE **LIPSIVS**

PROCANCELLARIO
DES COVDRES

LIPSIAE D. XXIII. M. IAN. A. MCMVII.

FRIDERICO MARX

BONNENSI

The beauties of the poets, instead of kindling a fire like their own, inspired only cold and servile imitations: or, if any ventured to deviate from those models, they deviated at the same time from good sense and propriety. The name of Poet was almost forgotten. *Gibbon.*

Initio saeculi p. Chr. n. alterius uis poetica populi Romani uidetur esse fracta; nullum enim fere opus quod memoratu dignum sit ex hoc saeculo seruatum est. Tamen nemo dubitare potest, quin eis temporibus quibus imperatores et imprimis Hadrianus Musarum ministris tantopere fauebant, multi ad factitandam artem poeticam adierint. Itaque optime meritus est Gerhardus Schultzius,[1]) cum demonstrauit huius aetatis esse poetas nonnullos quorum uersus saepe scriptores metrici adferunt, praecipue Annianum et Septimium Serenum. Cum uero constet horum poetarum auctoritatem apud poetas quarti p. Chr. n. saeculi non fuisse nullam, tamen quanta fuerit non constet,[2]) operae pretium esse puto de hac re quaerere, non solum ut poetarum posteriorum auctores cognoscamus, sed etiam ut poetas saeculi alterius ipsos melius intellegamus.

Sed antequam ad rem ipsam accedimus, nonnulla disserenda sunt de eis quae Schultzius exposuit; neque enim omnia plane probo. Itaque primum uideamus

§ 1. Quid nomen neotericorum significet.

Schultzius[3]) censuit inde ab anno fere 50 p. Chr. n. usque ad annum 150 fuisse sectam quandam poetarum, quorum capita fuissent Annianus et Serenus et qui a studio »nouandi« poetae »neoterici« uel »nouelli« dicti essent. Congeramus igitur eos locos, ubi »neoterici« et »nouelli« commemorantur.

a) Gell. 13, 27, 3 Sed illi Homerico[4]) non sane re parem

---

[1]) in Hermae uol. 22 anni 1887 p. 274 sqq.

[2]) cf. Marxium apud Pauly-Wiss. uol. II p. 2580, 2 sqq. s. u. Ausonius; Schanz, Gesch. d. röm. Litt. uol. IV 1 p. 40.

[3]) l. s. p. 280 sq.; cf. Leonem in Hermae uol. 24 anni 1889 p. 294 adn. 2.

[4]) Il. *A* 728.

neque similem fecit (Vergilius): esse enim uidetur Homeri simplicior et sincerior, Vergilii autem νεωτερικώτερος et quodam quasi ferrumine inmisso fucatior:

Ταῦρον δ'Ἀλφειῷ, ταῦρον δὲ Ποσειδάωνι.

Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo.[1])

b) Seru. ad Aen. 12, 605 FLAVOS LAVINIA CRINES antiqua lectio 'floros' habuit, id est florulentos, pulchros: et est sermo Ennianus. Probus sic adnotauit: neotericum erat 'flauos', ergo bene 'floros': . . . Accius in Bacchis 'nam flori crines, . . .

c) Seru. ad Aen. 6, 187 SI aduerbium rogantis et optantis est per se plenum, sicut et 'o', quamquam neoterici haec iungant et pro uno ponant: Persius (II 10)

o si
ebulliat patruus, praeclarum funus! et o si.

d) Seru. ad Aen. 6, 320 VADA LIVIDA nigra. et 'liuidum inuidum non nisi apud neotericos inuenimus: Lucanus (I 288)

liuor edax tibi cuncta negat, gentesque subactas.

e) Seru. ad Aen. 11, 715 VANE LIGVS aut fallax, aut inaniter iactans: nam 'uanos' stultos posteriores dicere coeperunt. inde tractum est etiam in neotericis: Iuuenalis (III 159)

sic libitum uano, qui nos distinxit, Othoni.

f) Seru. ad Aen. 8, 731 ATTOLLENS VMERO FAMAMQVE ET FATA NEPOTVM . . . hunc uersum notant critici quasi superfluo et humiliter additum nec conuenientem grauitati eius: namque est [eius] magis neotericus.

g) Seru. ad Aen. 10, 192 CANENTEM SENECTAM pro albo colore neoterice dictum putant.

h) Seru. ad Aen. 11, 590 et neotericum putatur ipsum 'sagittam ultricem'.

i) Pompei. gramm. Gram. Lat. uol. V p. 232, 35 K., ubi de syllaba o in prima persona uerbi conripienda loquitur: neoterici autem omnes, Statius et alii, maiores sunt in illa parte quae breuis est, quam in illa quae longa est, contra Vergilium.

k) Diom. p. 514, 23 K. ceterum huic metro (galliambo), quod eneruatum diximus, simile est illud neotericum, quod est tale,

rutilos recide crines habitumque cape uiri.[2])

l) Diom. p. 516, 24 K. reciprocus uersus apud neotericos talis est,

versu volo, Liber, tua praedicentur acta, . . .[3])

---

[1]) Aen. 3, 119.
[2]) Inc. u. 31.
[3]) de reciprocis egi infra p. 30 sqq.

m) Diom. p. 517, 3 K. reciprocum neotericí, si non fallor, nouum protulerunt, ut per duos uersus duo alii recurrant, ut in illis uersibus,

Nereides freta sic . . .[1])

n) Hieronym. in Gal. 3, 5 uol. 26 p. 418 Migne (tom. 7 p. 508 Vall.): Pulchre quidam de neotericis, Graecum uersum[2]) transferens, elegiaco metro de inuidia lusit, dicens:

Justius inuidia nihil est: quae protinus ipsum
Auctorem rodit, excruciatque animum.[3])

o) Ps.-Ascon. ad Cic. diu. in Caec. 15, edd. Orelli et Baiter uol. V 2 p. 105, 23: ut oculis iudicare possitis] hoc quidam leuiter a Cicerone dictum et neoterice putant; sed aptum est asseuerationi.

p) [Aurel. Vict.] or. gent. Rom. argum.: digesta ex auctoribus Verrio Flacco . . . , tum ex annalibus pontificum; dein Cnaeo Egnatio Veratio, Fabio Pictore, Licinio Macro, Varrone, Caesare, Tuberone, atque ex omni priscorum historia; proinde ut quisque neotericorum asseuerauit, hoc est, et Liuius et Victor Afer.

q) Claud. Mam. de stat. an. 1, 3 p. 30, 6 Engelbr.: porro qui neotericus scriptor iuxta propheticae locutionis exemplum meditatiunculas suas autumat debere pensari, non tractatorem profitetur se iste, sed uatem, cum uirginis partus ora uatum obserauerit, ut uaticinia reseraret.

Animaduertendum est primum quinque locis (a, f, k, o, q) ubi scriptores verbó »neotericus« usi sunt, uituperationem quandam proferri;[4]) tum tribus locis (o, p, q) de sermone pedestri, non de poetica elocutione verba fieri. Sed quid »neotericus« uere significet, dubium iam non fore puto, si uiderimus qui scriptores inter »neotericos« habeantur quique eis opponantur.

Inter »neotericos« habentur:

Liuius	a Pseudo-Victore (p),
Persius[5])	a Seruio (c),
Lucanus[5])	a Seruio (d),
omnes poetae qui o in prima persona conrepta utuntur	a Pompeio (i),
Statius	a Pompeio (i),
Iuuenalis	a Seruio (e),

[1]) cf. p. 31.
[2]) Anth. Pal. 11, 193; cf. Haupti opuscula III p. 387 sq.
[3]) Poet. Lat. min. ed. Baehrens uol. III p. 169.
[4]) cf. Schultzium l. s. p. 275.
[5]) Non mihi persuadet Schultzius l. s. p. 281 cum dicit Persium et Lucanum eam tantum ob causam haberi in numero neotericorum, quod quam arte cum Caesio Basso et Seneca coniuncti fuerint notum sit.

poeta quidam elegiacus ab Hieronymo (n),
poeta quidam galliambi a Diomede (k),
poetae quidam uersuum ludicrorum a Diomede (l, m),
Victor Afer a Pseudo-Victore (p),
scriptor quidam de deo a Claudiano Mamerto (q).

Insunt in hoc catalogo poetae primi p. Chr. n. saeculi, praeterea poetae quidam quos non nouimus, insunt tres solutae orationis scriptores, non insunt Annianus et Serenus.

»Neotericis« opponuntur:

Vergilius a Probo (b), Gellio (a), Seruio (f), Pompeio (i),
Cicero a Pseud-Asconio (o),
historici uarii usque ad Aelium Tuberonem et Verrium Flaccum,
et »omnis priscorum historia« a Pseudo-Victore (p).

Itaque »neotericus« non est artis vocabulum, sed significat id quod nos hodie dicimus »nachklassisch, modern«, uel si uituperationem inesse uolumus, »epigonenhaft«.[1]) Inde facile intellegitur, cur Terentianus Maurus hoc uerbo de eis poetis quos tanti aestimauit, uti non potuerit.

Multo facilius erit tractare de poetis »novellis«, quippe qui a Terentiano solo quantum uideo commemorentur.[2]) Et primo quidem loco adfertur exemplum Serenium, postquam metricus antea dixit (1969, 1973 sq.)

non equidem possum tot priscos nosse poetas, ...
nemo tamen culpet, si sumo exempla nouella:
nam et melius nostri seruarunt metra minores.

Sereni igitur exemplum est »nouellum«. Ex altero loco (2528 sq.)

uidero si nouelli
uersus erit poetae

---

[1]) Critici Alexandrini, qui omnes illos qui post Homerum scripserunt poetae praeclarissimo opponere uolebant, utebantur uel substantivo *οἱ νεώτεροι* uel adiectivo *νεωτερικός* (conf. schol. in Hom. Od. ed. Dindorf II p. 830 sub uocibus *νεωτερικόν* et *οἱ νεώτεροι* et Ludwich, Aristarchs hom. Textkritik II p. 757 s. u. *νεωτερικός* et *νεώτεροι*). Latini apud quos Vergilius eundem quem Homerus apud Graecos locum tenebat, hunc usum transtulerunt in commentarios ad Vergili carmina factos (conf. Serui locos supra adlatos et Leonem l. s.), ita tamen ut adiectiuo Graeco etiam pro substantiuo uterentur, quoniam *νεώτεροι* cum lingua Latina non conueniebat. Iam antea Cicero (ad Att. 7, 2, 1) verbo *νεώτεροι* poetas Catulli aequales nominauerat, qui hexametros spondeazontes amabant. Itaque non recte dixit Schultzius (l. s. p. 275) verbum »neotericus« primum dictum esse a Romanis de rebus Romanis.

[2]) conf. Alfredum Werth in Fleckeiseni annal. suppl. 23 anni 1897 p. 296 sq.

nihil amplius lucrari possumus. Tertio autem loco non de Romanis, sed de comicis Graecis agitur (2240 sqq.)

> magis ista nostri: nam fere Graecis (in trimetro iambico) tenax cura est iambi uel nouellis (i. e. *νέας κωμῳδίας*) comicis uel qui in uetusta praecluent comoedia.[1])

Iam si ponimus uerbum »nouellus« proprie dictum esse, ut secta quaedam poetarum significaretur quae per totum saeculum floruisset, nonne admodum mirum est hoc ipsum uerbum apud unum tantum scriptorem tribusque tantum locis inueniri et praeterea uno loco non de eis poetis dici ad quos significandos inuentum est, sed de quibusdam aliis? Equidem censeo »nouellos« poetas esse eos quos Terentianus alibi »minores« uel »qui nuper scripserunt«[2]) appellat. Deminutiuis uero formis uti non est proprium Terentiani, sed omnis illius aetatis.[3])

Quae quamquam ita se habent, tamen liceat uerbum »neotericus« inter artis uocabula habere et ei eundem sensum attribuere quem ei attribuerunt uiri docti post Schultzium.[4]) Id enim Schultzius sine dubio demonstrauit fuisse altero p. Chr. n. saeculo poetas, et inter eos imprimis Annianum et Serenum, qui metrorum nouorum studiosissimi erant. Hos igitur poetas in eis quae secuntur proprie dicam neotericos, occasione uero data omnes eiusdem aetatis poetas eodem nomine appellabo. In censum ergo uenient praeter Annianum et Serenum Hadrianus ipse eiusque amicus Florus, tum Alphius Auitus, quem libros plusculos »pridem« conscripsisse dicit Terentianus,[5]) et fortasse Marianus quoque; qui omnes metris nondum tritis usi sunt. Huc accedunt Apuleius et M. Aurelius imperator, quoniam neotericorum aequales fuerunt. Omittere licet eos poetas de quibus nihil

---

[1]) prorsus aliter atque ego de his uersibus iudicauit Schultzius l. s. p. 276.

[2]) uu. 1974 et 1891.

[3]) funiculus Ter. Maur. 21, funicula Ser. 20 ex coni. Baehrensi, tenaculum T. M. 29, uocula 116. 529, labellum 120 et saepius et Inc. u. 136, litterula T. M. 215, limula 284, libellus 1286, uersiculus 1914 et saepius, fonticulus 2130 in loco uerso ex Theocrito ubi poeta Graecus *παγαῖσι*, formula 2905; opuscula Sereni, animula Ser. 16. 17, Hadr. 3, 1, zonula Ser. 1, testula 19, canticulum 11, 2, culicellus 14; osculum Peru. Ven. 23. 79, flagellum 6, sacellum 71; puluisculum, gingiuula Apul. 2, 4 sq.; canicula Inc. u. 46. — graeculus Ter. Maur. 216, fulgidulus 225, gemellus 1326 et saepius, longulus 2189. 2729, plusculus 2449 de Alphi Auiti libris; miserulus Ser. 16; uagulus, blandulus, pallidulus, nudulus Hadr. 3; timidulus Apul. 2, 5 et Inc. u. 38, tenerulus Inc. u. 51.

[4]) Leo l. s.; Marx apud Pauly-Wiss. I p. 2267, 43 sqq. s. u. Annius 47; Schanz, Gesch. der röm. Litt. III[2] p. 21 sq.; Ribbeck, Gesch. d. röm. Dichtung III p. 321 sqq., qui optime de horum poetarum natura atque indole disseruit; Werth l. s.

[5]) u. 2449.

fere notum est, ueluti Voconium,[1]) L. Aelium Verum,[2]) Paulum,[3]) Frontonem.[4]) Peruigilium Veneris, quod quando et a quo factum sit notum non est, coniungemus cum Flori reliquiis, cui hoc carmen ascribitur iure fortasse. Praeterea neglegere non licet librum Terentiani Mauri et illos uersus quos ex metricis Latinis conlegit Baehrensius[5]) et quorum »haud pauci cum ex Anniano et Frontone similibusque tum ex Sereno fluxisse possunt sane«, quamquam nonnulla fortasse esse exempla ficta Baehrensium non fugit.

§ 2. Res tractanda proponitur et in partes diuiditur.

Postquam quasi fundamenta dissertationis iecimus, quaeramus quae nunc uia ingredienda sit. Ac primum quidem ex re erit de metris neotericorum accuratius disputare (§ 3), et quod neoterici metris nouis praecipue studuerunt et quod fragmentorum neotericorum maxima copia propter metrum tradita est.

Tum erit transeundum ad neotericos cum poetis saeculi quarti comparandos. Ex his eligemus Ausonium, primum quod opuscula eius tradita satis multa sunt, ut ex eis tractandis fructum capere possimus, tum quod eum ubique poetas priores uel scientem uel inscientem imitatum esse constat, denique quod metris uariis usus est. Ante reliqua igitur tractabimus de Ausoni metris (§ 4). Deinde comparabimus cum Ausonio Serenum (§ 5), Annianum (§ 6), Hadrianum, Florum, Peruigilium Veneris (§ 7), Apuleium, M. Aurelium, Alphium Auitum, Marianum (§ 8), Incertorum uersiculos a Baehrensio conlectos (§ 9), Terentianum Maurum (§ 10).

Cum uero tam exigua sint fragmenta carminum neotericorum, eorum quoque poetarum ratio habenda erit qui inde a tertio saeculo usque ad Ausoni aetatem fuerunt et quorum carmina ad nos peruenerunt: Q. Sereni Sammonici liber medicinalis (§ 11), Nemesiani eclogae et cynegetica (§ 12), Tiberiani carmina (§ 13), Vespae iudicium coci et pistoris, Reposiani carmen de concubitu Martis et Veneris, Pentadi uersus echoici et epigrammata (§ 14). Nam cum quantum Ausonius his poetis debeat nondum constet, cauendum est, ne eum aliquid a neoterico mutuatum esse dicamus, quod reuera ex poeta saeculi tertii sumpsit.

---

[1]) Teuffel-Schwabe, Hist. litt. Rom. § 346, 4.
[2]) idem § 353, 2.
[3]) idem § 353, 8.
[4]) idem § 355, 11; F(ragm.) P(oet.) R(om.) ed. Baehrens p. 376.
[5]) FPR p. 388—404 = Inc. uu.

§ 3. De neotericorum metris.

In neotericorum metris perscrutandis eam ingrediar uiam, ut de eis tantum numeris loquar quibus poetas neotericos usos esse constat aut quae apud Terentianum Maurum inueniuntur. Consulto uero omisi Terentiani metra quaedam quae ille certe non ut neotericus inter sua recepit.[1]) Praeterea eis metris quae uere neoterica sunt numeros consueto ordine decurrentes praefixi, reliqua suo loco inserui litteris minusculis appositis.

1. dimeter iambicus[2])

⏓ –́ ⏑ – ⏓ –́ ⏑ ⏓

neque apud Graecos neque apud Latinos ante Hadriani aetatem inuenitur *κατὰ στίχον*[3]) nisi apud Laeuium,[4]) qui hac forma uersus utitur

⏑⏑ ⏑́⏑ ⏑ – ⏑⏑ –́ ⏑ ⏓.
⏓ ⏓

Itaque Laeuius hoc metrum aut ipse finxit aut ex poeta quodam Alexandrino[5]) sumpsit; neoterici utrum magis Laeuium an Alexandrinos secuti sint, non est apertum, id uero constat inde ab aetate Hadriani hunc uersum celeberrimum esse. Anonymi enim Besantini aram, cuius uersus 11—20 sunt dimetri iambici, Hadriani temporibus scriptam esse uel fortasse imperatori ipsi dedicatam

---

[1]) trimetrum iambicum; eundem coniunctum cum dimetro iambico; eundem catalecticum (uu. 2429—38. 2468—79. 2920—54); tetrametrum iambicum catalecticum (uu. 2371—97. 2910—13) et acatalectum (2273—79); saturnium; trimetrum trochaicum catalecticum (2419—28); tetrametrum dactylicum acatalectum (2114—47); pentametrum dactylicum aeolicum (2148—56); distichon elegiacum; dimetrum anapaesticum clausum bacchio (1908—19); priapeum; uersum Archilochium cum anacrusi (1839—48, conf. Christi art. metr.² p. 570); strophas et epodos complures Horatianas.

[2]) Hadr. 3; Ser. fr. 1 ex Muelleri coni., 2, [3] (conf. infra p. 14), 4?, 5?; Alphi Au. fr. 1—3; Mariani fr.; Ter. Maur. uu. 2444—51. 2458. 2461. 2463. 2465. 2480. 2973—75; Inc. odarium FPR p. 375; Inc. u. 123.

[3]) Terentianus quoque praeter Alphium Auitum nullum poetam adfert qui hoc metro »perpeti« usus sit.

[4]) fr. 1. 4. 6. 15. 18. 23. 27 Baeh. — Pes primus anapaesticus quo apud Latinos primum usum esse Prudentium dicit Christius in art. metr.² p. 351, iam inuenitur in Laeui fr. 4, 3

capiti meo, trepidans libens

et in fr. 15, 2

operiúntur ac suaui quie.

[5]) hoc etiam magis probatur si mimi Oxyrhynchitae *Μοιχεύτρια* u. 187 p. 116 Herodae Crusiani⁴

μένουσι σῶοι, δέσποτα

initium cantilenae est.

fuisse uariis causis adductus suspicatus est Haeberlinus.[1]) Sed cum praeter hoc ipsum exempla Graeca adferre non possim,[2]) Romani numquam dimetri usum amiserunt; nam ut omittam carmina epigraphica[3]) quorum nullum ante saeculum p. Chr. n. alterum uidetur ortum esse, et Tiberiani[4]) et Ausoni[5]) et Ambrosi[6]) et aliorum poetarum Christianorum[7]) carmina hoc metrum exhibent; quos aut Laeuium aut, quod magis mihi placet, neotericos secutos esse apparet, quoniam poeta quodam ignoto Alexandrino eos usos esse non est uerisimile.

2. dimeter iambicus catalecticus et

3. dimeter ionicus anacreonteus anaclomenus celeberrima sunt metra Graecorum et Romanorum, quibus iam Anacreo[8]) usus erat et quae postea poetae carminum lasciuorum semper amauerunt.[9]) Aeschrio quoque poeta Alexandrinus ex binis dimetris iambicis singulos uersus fecerat, qui ab eo nomen metri Aeschrionii acceperant.[10]) Romanis utrumque metrum familiare factum est a Petronio[11]) quem his uersibus usum esse tradit Terentianus.[12]) Post Petronium uterque uersus semper in usu fuit.[13])

---

[1]) Carmina figurata Graeca, ed. alt. p. 63 sqq.

[2]) exceptis fortasse solis Anacreonteorum carm. 57 (58 Rose) uu. 23—25.

[3]) conl. Buecheler 217—224. 1526 C.

[4]) fr. 6.

[5]) conf. infra p. 36.

[6]) hymni duodecim et genuini et spurii.

[7]) Prudent. cath. 1. 2. 11. 12; perist. 2. 5; [Damasus papa] carm. 70 p. 73 sq. Ihm, 8 p. 381 sq. Mi.; Ennodius I carm. 10—16. 18—21; Venant. Fort. 1, 16; 2, 6; app. 6—8. 10; Gregor. Magn. papa hymn. 1. 4—8 uol. 78 p. 849 sqq. Mi.; conf. Huemer, Untersuchungen über d. iamb. Dim. bei den christlich-lateinischen Hymnendichtern der vorkarolingischen Zeit, Wien 1876 et Untersuchungen über d. ältesten lateinisch-christlichen Rhythmen, Wien 1879.

[8]) dim. iamb.: fr. 92 Bergk; anacreont.: fr. 43—45. 61—66. 91 Bergk et 35—39. 41. 42 Hiller. De his metris uberrime disputauit Hanssen in Rossbachi Griechische Metrik[2] 1889 p. 856 sqq.

[9]) dim. iamb.: Callimachi epigr. 37 et 39, 1. 2. 4. 5 Wilam.; Dosiadae arae uu. 1 et 2; carmen *εἰς νεκρὸν Ἄδωνιν* Bucol. Graec. ed. Wilamowitz p. 126 sq.; carmen Sicili; Anacreonteorum magna copia; Juliani Aegyptii epigr. Anth. Plan. VII 388 ed. Jacobs = Anacreont. 5 (6); Kaibel, epigr. Gr. 1127, 1; Gregor. Nazianz. de se ipso 80 p. 1435 Migne. anacreont.: in Anacreonteis ubique; Lucian. Tragodopod. uu. 30 sqq.; Besantini arae uu. 1—3; Synesi hymni 1 et 2; Kaibel, epigr. Gr. 1127, 2 et 3; Gregor. Naz. poem. dogm. 30 p. 508 sqq. Migne.

[10]) Mar. Vict. p. 105, 11 K.

[11]) item sub Nerone dimetros anacreonteos inseruit in tragoediam Seneca Med. 849 sqq.

[12]) uu. 2489 (conf. Petroni fr. 19 et 21 Buech.) et 2852 (conf. Petroni fr. 20); conf. Petron. sat. 52, 7 (Crusius apud Pauly-Wiss. I p. 2048, 35).

[13]) dim. iamb.: Ter. Maur. 2482—2513; Inc. u. 124; Optat. Porf. 20a

4. trimeter iambicus Hipponacteus, Graece σκάζων, quo saepissime usi sunt Romani inde a Cn. Matio et Laeuio; a quibus neoterici in his metris formandis uidentur profecti esse.[1]) Exempla sunt Incertorum uersiculi 50 et 51 et Terentiani uu. 2398—2418, quibus addo Sereni fr. 1

aut zonulam aut acum aut ricam,

quod a Luciano Muellero[2]) temere mutatum est in

aut zonulam aut ricam aut acum.

Equidem ex loco Plautino[3]) a Nonio adlato suppleuerim

aut patagiatam aut zonulam aut acum aut ricam

uel tale quid, nisi forte malis putare uersum esse dimetrum iambicum σκάζοντα

⏓ –́ ⏑ — ⏑ –́ — ⏑.

Quod tamen minus uerisimile est. Nam uelim inspicias Nonium[4]) qui Sereni fragmentum memoriae tradidit: »RICA est quod nos sudarium dicimus. Plautus in Epidico ... Serenus Opusculo lib. I: aut zonulam aut acum aut ricam.« Non est meum hic quaerere, utrum Sereni uersus in libro Plautino quo Noni litterarius usus est, in margine ascriptus fuerit necne, et utrum casu factum sit necne quod Nonius ad ultima tantum et Sereni carminum[5]) et Ciceronis epistularum libri XV[6]) excerptorum libri numerum addidit, in reliquis locis omisit: sed nonne mirum est eum ipsum locum ubi Nonius libri Serenii cuiusdam numerum adfert, quod in reliquis octo locis nusquam fecit, homini critico dubitationes mouere? Nam »Opusculo lib. I« stare non posse iam uidit Lucianus Mueller, cuius tamen coniectura »Opusculorum lib. I« mihi displicet. Mea quidem sententia Nonius scripsit »Serenus Opusculis[7]) ⏑ — ⏑ — aut zonulam aut acum aut ricam«, et ea quae codices exhibent, orta sunt

---

p. 22 Mue.; Prudent. cath. 6; Mart. Cap. 2, 126; 3, 221 sq.; Seduli hymnus II p. 163 Huemer; Luxorius Anth. Lat. 309 R.; carm. epigr. Lat. ed. Buech. 225 et 1522 = Hadrian. Anth. Lat. 903 R. (de hoc ipso carmine conf. Hanssen l. s. p. 864). anacreont.: Flor. fr. 1; Hadrian. fr. 1; Inc. uu. 89, 90, 96, 97, 164, 167; Optat. Porf. 22 uu. VII—X p. 64 Mue.; Symmachi epist. 1,8 p. 7 Schenkl = FPR p. 411 fr. 3; Paulin. app. c. 1, 1—16 p. 344 Hartel; Mart. Cap. 7, 726; 8, 805; 9, 917. 918. 919; Sidon. epist. 9, 13, 5; Luxorius Anth. Lat. 298 R.; Venant. Fort. app. c. 4.

[1]) Ter. Maur. 2416.

[2]) in appendice editionis Rutili Namatiani p. 47.

[3]) Epid. 231.

[4]) p. 539, 17 M., III p. 865 Lindsay.

[5]) p. 61, 24 M. = fr. 2; p. 210, 21 fr. 12; p. 212, 23 fr. 8; p. 223, 26 fr. 5; p. 258, 2 fr. 13; p. 431, 16 fr. 8; p. 467, 26 fr. 15; p. 517, 3 fr. 16; p. 539, 18 fr. 1.

[6]) conf. Marxium in Lucili ed. uol. I p. LXXXIV.

[7]) conf. p. 431, 16 M.

ex dipodia quam desideramus in trimetri claudi initio. — Et hic fortasse addere licet omnino mihi non esse persuasum Sereni carmina in complures libros fuisse diuisos. Alter enim locus quo Sereni liber quidam commemoratur, inuenitur apud scholiastam ad Iuuenalis carminis quarti uersum 2: »AD PARTES. hoc est operis mei. metaforam facit a comoedia. aut ad partes quasi comoediae, quae multae sunt in eum, aut ad partes quasi conuiuii et copulationis mensae. ita et Sesenus libro II. ait: ‚non dignus, in quem debeam saturam calente ui adingerere'« [1]) Sane satis lenis uidetur Achaintri mutatio »Serenus«, sed caueamus ne in maiores difficultates incidamus. Fragmenta enim Sereni perlustres: nonne omnibus locus esse potuit in Opusculis ruralibus? Contra quinam in carminibus ruralibus locus est saturae? Serenus lyricus nominatur a Seruio,[2]) nusquam saturarum scriptor, neque quicquam in eius fragmentis extat quod saturae speciem praebeat. Praeterea locus ipse scholiastae desperatissimus est. Lemma enim est »ad partes«, et quid »ad partes« significet demonstraturus est uir doctus Seseni loco; quem graue detrimentum accepisse oportet, quoniam »ad partes« non inest. Itaque in nomine quoque auctoris mutatio haud ita lenis fortasse comprobari poterit. Scribam igitur cum Casparo Barthio »Seuerus«, nam Cassium Seuerum oratorem constat acerrime in homines inuectum esse »procacibus scriptis« quae adfert Tacitus[3]). Itaque censeo Sereni »opuscula« ut Ausoni »opuscula« in libros complures non fuisse diuisa.

4a. dimeter trochaicus catalecticus qui uocatur *ληκύθιον*, apud Ter. Maur. uu. 2466. 2474—76, in Inc. u. 127 et fortasse in Sereni fr. 4

semiremex Hercules,

si uersus integer est. Dolendum est nos nescire sintne neoterici hoc uersu usi *κατὰ στίχον*; nam ex Terentiani uersibus admodum paucis hoc apparere non puto. Tamen quocumque modo haec res

---

[1]) p. 216 ed. Jahn. — Sesenus] Sisenna: Popma. Seuerus: C. Barth. Serenus: Achaintre. — non dignus] condignus: Heinrich. — calente ui adingerere] calente uiro Ingerere: Lachmann. calentem adcingier: Lucianus Mueller. calentem adcingere: Buecheler in ed. Juu. p. 94. calentem uiuidus ingerere, ut ad partes uocem: Baehrens. calente ui adingere aut ad partes operis ciere: C. Barth in aduers. comment. libri XI cap. 2 p. 515.

[2]) ad. Aen. 2, 15.

[3]) ann. 1, 72. — Nonnulla Cassi Seueri scripta fuisse diuisa in complures libros fortasse intellegitur ex Diomed. p. 373, 20: »sed in sacrificio Accius Cassius ad Tiberium secundo adoleui dicit«, ubi uiri docti in eo consentiunt, quod nomen Acci aut Diomedis aut scribae cuiusdam errore inrepsisse dicunt; conf. Priscian. GL II p. 489, 3: »Cassius ad Tiberium II«, quod ex ipso Diomedis loco sumptum est, et p. 380, 1: »Cassius similiter«.

se habet, id uidetur constare neotericos in hoc uersu adhibendo nihil nouasse; uersus enim, qui iam apud Alcaeum[1]) inuenitur, apud poetas scaenicos et Graecos et Latinos celeberrimus est,[2]) neque poetae posteriores eius obliti sunt.[3])

5. tetrameter trochaicus catalecticus siue septenarius[4]) saepissime inuenitur apud poetas ueteres Romanos inde ab Ennio usque ad Varronem. Tum uero obliuione obrutus uidetur esse,[5]) scilicet quod is uersus qui in uolgi carminibus uersui saturnio successerat non iam dignus putabatur quo etiam ei poetae qui nihil sibi cum uolgo commune esse uolebant uterentur. Hadriani uero temporibus uersus iterum in honore esse coepit, ita ut poetae Romani qui postea eo usi sunt,[6]) neotericos secuti esse putandi sint. — Fortasse hic addere licet Sereni fr. 6

inferis manu sinistra immolamus pocula:
laeua quae uides Lauernae, Palladi sunt dextera

et Inc. u. 153

ictibus secare membra, corpus omne rumpere;

hiatum enim qui in illius fragmenti uersu priore inest, ferri posse demonstratur locis nonnullis poetarum Romanorum[7]): hoc fragmentum ne is quidem qui memoriae tradidit[8]) ex duobus uersibus constare uoluit, cum scripsit: »diuiditur autem tetrametrum trochaicum catalecticum ⟨in dimetrum acatalectum⟩[9]) et dimetrum catalecticum, ut est

ictibus secare membra,
corpus omne rumpere,«

sed cola tantum uersus significauit.[10])

---

[1]) fr. 95 et 100 B.

[2]) conf. Christi artem metr.[2] p. 290 sq.

[3]) Simiae Ouum uu. 3 et 4 Bucol. Graec. ed. Wilamowitz p. 148; Mesomedes Anth. Plan. 4, 323; Anth. Pal. 13, 7; Horat. carm. 2, 18 = Prudent. epilog. p. 486 Dr.; Eugen. Tol. carm. 86, 2 p. 265 Vollm.

[4]) Flor. fr. 2—9 Mue.; Peruig. Ven.; Apul. fr. 1 B.; Ter. Maur. 279—507. 509—998. 1300—1456. 2340—44; Inc. uu. 21—29.

[5]) duo inueni exempla: Cic. fr. 46 FPR p. 314, p. 358 fr. IV 1 ed. Mueller, sed hoc ex Epicharmo uersum est, et Petron. sat. c. 58, 8, ubi tamen Trimalchio uerba facit quem ubique uolgi more loquentem inducit poeta. Praeterea conf. Marxium apud Pauly-Wiss. I p. 2268, 7 sqq.

[6]) Tiberian. c. 1 et fr. 5; Auson. conf. infra p. 87; Prudent. cath. 9, perist. 1; Mart. Cap. 2, 117 sqq.; Dracont. Romul. 1 p. 132 Vollmer; Luxor. Anth. Lat. 291 R.; Ennodius 1, 4, 25—28; 2, 107, 5—8; 2, 123; Venant. Fort. 2, 2; Eugen. Tol. carm. 5; 39; 77; 89, 5.

[7]) Tiberian. carm. 1, 9; Prudent. perist. 1, 25; Luxor. Anth. Lat. 291, 7 R.

[8]) fragm. Bob. Gram. Lat. ed. Keil uol. VI p. 622, 22.

[9]) add. Keil.

[10]) septenarii in duas partes dirempti inueniuntur in Venanti Fortunati carminum spuriorum app. 5, 383 Leo; ubi poeta quantitatem syllabarum omnino

6. glyconeus



in Ser. fr. 8 et 9, apud Ter. Maur. uu. 1—84. 2606—43. 2645. 2648. 2666—77. 2679—83. 2685 sq. 2688. 2698. 2706. 2713. 2726—45. 2782—92. 2797, in Inc. uu. 73. 143—145. Neotericos in glyconeo formando non Horatium eosque metricos qui omnes numeros ex heroo deriuabant, sed poetas qui ante Horatium fuerunt secutos esse apparet ex eo quod basi et spondiaca et trochaica et iambica utuntur; Horatius enim, qui praeterea glyconeum numquam *κατὰ στίχον* adhibuit, semper spondeum posuit in initio glyconei, uariae uero bases inueniuntur apud Varronem[1]) Ticidam[2]) Caluum[3]) Catullum. Hoc tamen non ualet de Terentiano qui, ut ceterum quoque diligentissimus est, inter magnam copiam glyconeorum unum tantum inseruit qui basin iambicam exhibet (2641)

duos ut choriambicos.

7. hendecasyllabus[4]) qui inde a Varrone usque ad ultima imperi tempora floruit.

8. dimeter anapaesticus catalecticus siue paroemiacus.[5]) Hic uersus primum *κατὰ στίχον* inuenitur apud Annianum et Serenum; ante eos neque ex Graecis neque ex Latinis carminibus exempla huius metri adferre possum[6]), post eos satis magna

---

neglexit et praeterea clausulas uersiculorum inter se consonantes fecit. — Alia de septenario trochaico exposui infra p. 19.

[1]) sat. Menipp. fr. 437 Buech.

[2]) FPR p. 325 fr. 1.

[3]) FPR p. 320 fr. 4.

[4]) M. Aureli uersus FPR p. 376; Ter. Maur. 1945—47. 2545—86. 2589—98. 2600—05. 2819—2944 passim; Inc. uu. 112. 146. 151. 152. 163; Tiberian. c. 3; Hadriani epigramma Graece scriptum apud Kaibelium epigr. Gr. 811 p. 329.

[5]) Ser. fr. 12—14; Annian. fr. 1.2; Ter. Maur. uu. 1812—41.

[6]) Embaterion Tyrtaei (fr. 15 B.), quod huc pertinere dixit Christius (art. metr.[2] p. 253) non mihi aptum uidetur quod cum neotericorum uersibus comparetur; saepius enim in tertio pede exhibet spondeum, quem neoterici quique post eos hoc metro usi sunt, epigrammatis quoque Graeci supra adlati poeta, cuius ceteri uersus »inconditi« sunt, diligenter remouerunt. Id uero in censum non uenit, quod ter spondeus tertio loco inuenitur et in Medeae centonis Vergiliani uu. 42

felix heu nimium felix

et 295 armatam facibus matrem

et in epigrammate exeuntis fere saeculi quarti in Britannia inuento (Carm. Lat. epigr. conl. Buecheler 1524)

Neptuni uertex regmen;

illic enim fortasse poeta spondeum non repudiauit, quod in pede altero dactylum posuerat, quamquam hoc alibi non inueni: tituli scriptorem aetatis et terrae barbarie, exemplis quoque eruditorum qualia attulimus ex Medea, satis excusauit Buechelerus.

copia praesto est: Graece in epigrammate apud Kaibelium,[1]) apud Synesium,[2]) qui quo maiorem metro grauitatem daret, ubique posuit spondeos

— ⏑ — — — ⏑ ⏑,

apud Clementem Alexandrium,[3]) Latine apud Ausonium,[4]) Prudentium,[5]) Martianum Capellam,[6]) Boethium,[7]) in Hosidi Getae Medea,[8]) in lapidibus.[9]) Poetas Latinos a neotericis pendere uerisimile est, de Graecis quoniam idem putare uix licet, statuendum erit iam antea poetam Graecum, Alexandrinum ni fallor, hoc metro usum esse eumque secutos esse et poetas Graecos et neotericos.

9. tetrameter proceleumaticus catalecticus[10]) in Sereni fr. 16 et 17, in Inc. u. 63 quem Serenium esse infra uidebimus, in Inc. u. 138. Praeterea idem metrum extat in uersu Aristophaneo ab Hephaestione tradito

τίς ὄρεα βαθύκομα τάδ' ἐπέσυτο βροτῶν;[11])

in uersu Timothei[12])

τεταμένον ὀρίγανα διὰ μυελοτρεφῆ,

in uersu incerti auctoris[13])

ὄνος ὄνος ἀπέθανε, τίνι τίνι θανάτῳ;

in epigrammate Diogenis Laertii quod ex libro quem inscripserat *Πάμμετρον* sumptum operi maiori inseruit[14])

Α. Διόγενες, ἄγε λέγε, τίς ἔλαβέ σε μόρος
ἐς Ἄϊδος; *Δ. ἔλαβέ με κυνὸς ἄγριον ὀδάξ*,

in tribus uersibus Caesi Bassi[15])

† sedet ibi Bromia dea pede mulier,
modo pecora rapida caper agitat humi,
caput inanime tepet auida neque manus.

---

[1]) Epigr. Graec. 613 uu. 1—3.
[2]) hymn. 5, p. 43 Flach.
[3]) in Paedagogi exitu p. 291 ed. Stählin. uu. 10. 28. 30.
[4]) c. 176 (p. 50 S. 40 P.).
[5]) cath. 10.
[6]) 2,123.
[7]) de cons. phil. II carm. 5, III carm. 5.
[8]) Anth. Lat. 17 R. uu. 25—51, 107—147, 284—311.
[9]) Carm. Lat. epigr. conl. Buecheler 1523. 1524.
[10]) sic Mar. Vict. p. 53,11 K.; melius dicendum erat »acatalectus«, ut fecit Hephaestio p. 29,6 W., p. 28,3 Consbr.; ultimus enim pes est anapaestus cuius tertia syllaba anceps est.
[11]) Heph. p. 29,3 Westph., p. 27,25 Consbr.=Aristoph. fr. 698 Kock; conf. Gaisfordium in Hephaestionis ed. uol. II p. 105 sqq.
[12]) fr. 7 p. 622 B.
[13]) Poet. lyr. Graec. ed. Bergk uol. III p. 742; uersum »comici« poetae esse dicit Bergkius.
[14]) VI 79 p. 151,32 Cob.=Anth. Pal. 7,116.
[15]) p. 265, 1—3 K. = fr. 7—9 FPR p. 365.

denique in Ausoni carmine 186.[1]) Aristophanis quidem et Timothei et incerti auctoris uersus in carminibus anapaesticis infuisse pro certo habendum est, sicuti alii quoque poetae Graeci inter anapaestos occasione data proceleumaticos posuerunt, ut maiorem celeritatem uel tale aliquid indicarent; Ausonium carmine suo Septimium Serenum imitatum esse infra[2]) demonstrabo. Restant igitur Caesi Bassi, neotericorum, Diogenis Laertii uersus, inter quos quae ratio intercedat, uidendum est. Nec Diogenem nec Serenum hoc metrum inuenisse apparet, nam Bassus iam antea eo usus est; de hoc uero ipso quid iudicandum sit, satis difficile est dictu. Bassum enim uersus supra adlatos consulto fecisse, ut exemplum metri proceleumatici adferre posset, non est uerisimile, quoniam uersus inter se non cohaerent. Contra si statuimus eum ex carmine uel suo uel alieno haec exempla selegisse, non iam erit mirum sensum cohaerentem non inesse uersibus; ex Ausoni enim carmine facile perspicitur talia carmina pro proceleumaticis anapaestos quoque et dactylos nonnumquam exhibuisse, metrico uero ei uersus eligendi erant in quibus meri tantum proceleumatici inerant. Sed utrum uersus Caesi Bassi an alterius poetae sint, non liquet. Hoc ualet de uersibus; de metro ipso fortasse idem iudicandum est atque antea de dimetro anapaestico (8) diximus. Nam quod Diogenem Basso uel Sereno niti censere non licet, uerisimile est iam poetam quendam Alexandrinum hoc metro usum esse et ab eo et Bassum et Diogenem pendere.

9a. trimeter anapaesticus catalectius

⏑⏑ ˊ ⏑⏑ – | ⏑⏑ ˊ⏑ ⏑⏑ – | ⏑⏑ ˊ ⏑

apud Ter. Maur. u. 1857 et in Inc. uu. 58—60 apud Marium Victorinum seruatis. Metrum si uere neotericum est, sumptum est fortasse ex carmine Simiae Rhodii, de quo Hephaestio[3]) sic uerba facit: *Τῷ καταληκτικῷ δὲ τριμέτρῳ Σιμίας ὁ Ῥόδιος ὅλον ποιημάτιον ἔγραψεν*

Ἰστία ἀγνά, ἀπ' ἐϋξείνων μέσα τοίχων.

Baehrensio uero qui putat Marium Victorinum tres illos uersus incerti poetae sumpsisse ex eodem Sereni carmine prorsus adsentiri nequeo; quamquam enim praeter hos uersus et Inc. u. 63 quem infra[4]) Sereno attribuemus, reliqua quoque totius capitis Mariani[5]) exempla — dico Inc. uu. 61 quem Sereno dedit Wernsdorfius,[6]) et

[1]) p. 54 S. 46 P.
[2]) p. 46 sq.
[3]) p. 27, 20 Westph., p. 26, 14 Consbr.
[4]) p. 47.
[5]) p. 77,14—78,18K.
[6]) Poet. Lat. min. uol. II p. 291 fr. 31.

62 — Sereni esse possunt, tamen scrupulus mihi inicitur, cum animaduerterim illis uersibus de fabulis deorum agi, quod Serenus quantum uideo nusquam fecit.

10. tetrameter anapaesticus catalecticus siue Aristophanius in Sereni fr. 20 et in Inc. uu. 55. 56. 62.[1]) Hoc metro adhibendo neoterici uidentur secuti esse Varronem qui in saturis Menippeis saepe eo usus erat.[2]) Post hunc poetam id metrum quod apud poetas scaenicos celeberrimum erat, apud lyricos in obliuionem uidetur incidisse et a neotericis demum latebris ereptum esse. Satis mirum est idem metrum eadem fere aetate in Asia quoque longe ab urbe Roma reuixisse; sacerdos enim Apollinis Clarii altero p. Chr. n. saeculo medio Trocettenis oraculum dedit quod quinque tetrametros anapaesticos continet.[3]) Huc accedit, quod tetrameter trochaicus, de quo eadem supra[4]) dicenda erant quae hic de Aristophanio protulimus, inuenitur in eodem oraculo[5]) et praeterea in tribus oraculis ab Apolline Clario eadem fere aetate datis.[6]) Quod idem uersus etiam in mimo Oxyrhynchita *Χαρίτιον* extat,[7]) huc eum peruenisse puto ex comoedia, non ex poesi lyrica.

10a. dimeter dactylicus catalecticus siue adonius de quo sic Terentianus[8])

> continuasse pedes istos in carmine solos
> dicitur haec eadem praeclara poetria Sappho.

Planis igitur uerbis dicit uir doctus iam Sappho uersu adonio *κατὰ στίχον* usam esse, itaque Christius[9]) uix iure putasse mihi uidetur posteriores demum poetas Latinos ueluti Terentianum hoc fecisse. Immo censeo ex ipso Sapphus carmine de quo loquitur Terentianus, uersum seruatum esse. Nam exempla uersus adonii adferuntur a Mario Plotio Sacerdote[10])

ὦ τὸν Ἄδωνιν

et a Mario Victorino[11])

---

[1]) Christius qui in art. metr.[2] p. 265 dicit se tetrametrum anapaesticum ex puris anapaestis constantem non nouisse, exempli causa adferre poterat Inc. uu. 55. 56. 62.

[2]) fr. 25, 47, 48, 242, 359, 394, 421, 461 Buech.

[3]) Buresch, Klaros, p. 11 C uu. 1—5; conf. p. 76.

[4]) p. 15.

[5]) Buresch l. s. p. 11 C uu. 6—9.

[6]) Buresch l. s. p. 60; conf. p. 76 sq.

[7]) Herod. ed. Crusius p. 107 uu. 97—104. 106; conf. Guido Winter, de mimis Oxyrhynchiis, diss. Lips. 1906 p. 38.

[8]) u. 2159 sq.

[9]) art. metr.[2] p. 151.

[10]) p. 516, 25 K.

[11]) p. 86, 24 K. = Inc. u. 70; prior uersus etiam apud Atil. Fortunat. p. 288, 8 K.

o quis Adonem
spem Cythereae.

Nonne uersus Graecus et uersus Latinus prior ita inter se congruunt, ut hunc esse uersum ex illo necesse sit? Quod si de altero uersu Latino putamus, de ambobus idem iudicandum est. Graecum uero uersum editores Sapphus inde a Bergkio uariis de causis ascripserunt poetriae Lesbiae.[1]) Sapphus igitur uidetur fuisse carmen uersibus adoniis compositum ex quo nobis noti sunt duo uersus continui, prior Graeco sermone *ὦ τὸν Ἄδωνιν,* alter translatus a metrico quodam in linguam Latinam »spem Cythereae«. — Inde a Sapphus aetate usque ad Terentianum uersus tales *κατὰ στίχον* positi uidentur obliuione obruti fuisse, nam duo uersus fistulae Theocriteae[2]) fere nullius momenti sunt. Et Terentiano quoque exempla Latina praesto non fuisse ex eo concludo, quod satis magno sane cum labore carmen adonium ex frustulis Vergilianis congessit.[3]) Postea uero hoc metro usi sunt poetae complures,[4]) eis fortasse nisi quae Terentianus exposuerat.

11. tetrameter dactylicus catalecticus in unam syllabam. Tota carmina ex talibus tantum uersibus uidetur primus composuisse Serenus; neque enim inuenitur hoc metrum apud poetas Romanos ante Serenum, et Terentianus sic de eo uerba facit[5])

Septimius, docuit quo ruris opuscula libro,
hoc genere adsidue cecinit;
ponere pauca mihi sat erit,
'inquit amicus ager domino
„si bene mi facias, memini"':
'pinea brachia cum trepidant,
audio canticulum zephyri.'[6])

Addendum est praeterea fr. 15 Sereni

rure puella uagat uirido.

In hoc metro poetae Romani nusquam spondeum posuerunt exceptis Pomponio, quem tamen in choricis hunc uersum cum dimetro ana-

---

[1]) fr. 63 B.
[2]) uu. 17 et 18 p. 150 Wil.
[3]) uu. 2163—76.
[4]) Optat. Porf. c. 22 uu. XI—XIV p. 64 Mue.; Mart. Cap. 2, 125; Boeth. de cons. phil. I carm. 7; Ennod. 1, 7, 69—80.
[5]) uu. 1975 sqq.
[6]) fr. 10 et 11.

paestico miscuisse tradit Terentianus,[1]) et Boethio,[2]) qui simillimo modo singulis tetrametris dactylicis dimetros ionicos adfixit: poetae Graeci ubique hoc sibi concesserunt, nisi forte dicas Theocritum in fistulae uu. 11 et 12

ὦ τόδε τυφλοφόρων ἐρατόν
πῆμα Πάρις θέτο Σιμιχίδας

hac lege uinctum non inseruisse spondeos. Tamen si totum carmen inspexeris ac uideris plurimos pedes esse dactylicos, nonnullos spondiacos, mecum putabis casu illos uersus mere dactylicos factos esse. — Mixtam uero formam praebent: Alcmanis fragmenta tria[3])

$$- \breve{\smile}\breve{\smile} - \bar{\breve{\smile}} - \bar{\breve{\smile}} \breve{\smile},$$

epigramma Anth. Pal. 15, 23, quod ante exitum saeculi alterius p. Chr. n. factum esse non potest,

$$- \bar{\breve{\smile}} - \bar{\breve{\smile}} - \bar{\breve{\smile}} -,$$

epigramma Gregori Nazianzeni[4])

$$- \bar{\breve{\smile}} - \breve{\smile}\breve{\smile} - \breve{\smile}\breve{\smile} \breve{\smile},$$

ubi tetrametro trimeter catalecticus additus est quasi epodus. Ante Alcmanem eodem uersu iam usus erat Archilochus.[5]) Latina exempla praeter Sereni et Terentiani uersus haec inueni: Ausoni carmina duo;[6]) Prudenti cath. 3 et perist. 3, utroque loco quinis uersibus ad stropham coniunctis; carmen »de S. Agatha martyre« ascriptum Damaso papae,[7]) quod praebet strophas quaternorum uersuum et binos quidem uersus extremis syllabis consonantes. Poetas Latinos hoc in uersu tractando tantopere discedere a Graecis eo magis mirum est, quod Terentianus[8]) dicit uersum esse hexametri heroi priorem partem; spondeos igitur eam ipsam ob rem nonnumquam admixtos esse expectaueris. Censeo igitur eum qui primus praeceptum mirum obseruandum esse statuit, Serenus fortasse, ut supra uidimus, aut adductum esse uersibus Theocriti uel alterius cuiusdam

---

[1]) uu. 1965 sqq. = Trag. Rom. fragm.[3] rec. Ribbeck p. 268 fr. I, quamquam fortasse Pomponius non binos uersus, sed singulos octametros catalecticos in unam syllabam facere in animo habuit; conf. Aristoph. Ran. 880, Christ. art. metr.[2] p. 204.

[2]) de cons. phil. III carm. 6.

[3]) 49 B., 53 B., 28 Hiller-Cr.

[4]) poem. de se ipso 21 p. 1280 Migne.

[5]) Diom. p. 515, 14 sqq.: »sed hoc Varro ab Archilocho auctum dicit adiuncta syllaba et factum tale,

omnipotente parente meo.«

[6]) 187 (54 S. 46 P.) et 78 (218 S. 345 P.).

[7]) c. 71 p. 75 sq. Ihm, 30 p. 403 sqq. Migne.

[8]) uu. 1982 sq.:

sic hephthemimeres seruauit carmine utroque:
hexametros facies ipsos, si cetera reddas.

poetae technopaegniorum, quae sub Marco fere editioni Theocriti Theonianae addita esse nuper nos docuit Wilamowitzius,[1]) aut eum non esse poetam neotericum, quippe qui aperte in nouis metris formandis eorum metricorum doctrinam secuti sint qui omnia metra ex hexametro heroo »deriuabant«. Comparare fortasse licet trimetrum mere iambicum quo Catullus Vergilius Horatius usi sunt.

12. hexameter dactylicus qui quamquam in Flori tantum fr. 10—13, apud Terentianum, in Inc. uu. 1—16 extat, tamen sine dubio multo frequentior in neotericorum carminibus fuit; sed scriptores artis metricae, qui omnia fere fragmenta neotericorum seruauerunt, non habebant, cur hexametros adferrent.

12a. idem uersus cuius syllaba paenultima ex longa breuis facta est

— ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑⏑ ⏑ ⏑̄.[2])

Versum, qui apud Terentianum seruatus est,[3]) a neoterico quodam formatum esse dixit Schultzius[4]) nisus Terentiani uu. 1920 sqq.

dactylici finem uersus si cludat iambus,
hoc est pro longa breuis ut paenultima fiat,
auribus acciderit nouitas inopina meleos,

uix iure mea quidem sententia, si spectamus u. 1927

si nusquam hoc aliquis lectum putat.

Et cur Terentiano ad ueteris cuiusdam poetae[5]) uersus refugiendum erat quos ipse non iam satis bene in animo habebat,[6]) si exempla neoterica in promptu erant? Itaque magis facio cum Ribbeckio[7]) qui censet Terentianum illo loco Caesi Bassi arte metrica usum esse; qui cum paulo obscurius rem tractauisset, Terentianus addidit illud »puto«. Accedit quod hoc uersu usus est Lucianus[8])

---

[1]) Die Textgeschichte der griechischen Bukoliker p. 109; Bucol. Graec. praef. p. V.

[2]) uersum uocat Diomedes p. 517, 15 K. »iambicum hexametrum« hoc exemplo apposito

per uarios semper currunt mea carmina modos,

Graeci τελίαμβον (Mar. Vict. p. 68, 3 K.).

[3]) uu. 1922—32. 1934. 1939.

[4]) l. s. p. 277.

[5]) uu. 1935—38 neque Liui neque Laeui esse exposuit Mauricius Haupt, Obseruationes criticae p. 43 = Opuscula I p. 115 sq.

[6]) uu. 1931 sq.

Liuius ille uetus Graio cognomine suae
inserit Inoni uersus, puto, tale docimen.

[7]) Trag. Rom. fragm.[3] p. 5; Die römische Tragödie im Zeitalter der Republik p. 34.

[8]) in Tragodopodagrae uu. 312—324; conf. Friedrichsmeier de Luciani re metrica, diss. Kiliensis anni 1889, p. 54 sq.

quoque qui eum certe non a neotericis mutuatus est. — Versum ad hexametri *μειούρου* exemplum factum esse — quamquam Schultzius[1]) hoc negat — et ipsa res indicat et Terentianus dicit his uerbis

uersus Homericus Ausonio resonans ita modo,
quemque miuron Achaica gens uocitare solita est,
attoniti Troes uiso serpente pauitant.[2])

Eodem modo atque hexameter claudus, ad exemplum tetrametri dactylici catalectici in duas syllabas

$$- \breve{\smile}\breve{\smile} - \breve{\smile}\breve{\smile} - \overset{(-)}{\breve{\smile}\breve{\smile}} - \breve{\smile}\overline{\smile}.$$

quo Anacreo et Boethius[3]) *κατὰ στίχον*, Archilochus et Horatius pro epodo usi sunt, et quem inter incertorum neotericorum fragmenta[4]) inseruit Baehrensius, uix iure, quoniam praeter Diomedem nec Terentianus neque alius artis metricae scriptor[5]) talem uersum adfert, factus est

13. tetrameter dactylicus catalecticus in duas syllabas cuius syllaba paenultima conrepta est

$$- \breve{\smile}\breve{\smile} - \breve{\smile}\breve{\smile} - \breve{\smile}\breve{\smile} \breve{\smile}\overline{\smile}.$$

Inuenitur hoc metrum in Anniani fr. 3, de quo infra[6]) agam, apud Terentianum uu. 1992—2004, in Inc. u. 115 apud Marium Victorinum seruato

pergat amica Venus modo iocis,

quem utrum Apthonius ex alio scriptore sumpserit an ipse finxerit non constat. Videtur hoc metrum, quod nusquam alibi extat, Annianus in Faliscis inuenisse, inuentum ab eo Boethius[7]) imitatus esse. — Quaerat fortasse quis, utrum syllaba ultima an paenultima sub accentu fuerit.[8]) Qua in re tractanda praeter hunc uersum hexametri quoque claudi rationem habendam esse apparet. Ac de Graecis quidem uersibus uidetur constare syllabam paenultimam sub ictu fuisse; nam et uersus Homericus et decem uersus Luciani exhibent uerbum paroxytonon in exitu uersus positum; in tribus

---

[1]) l. s. p. 277 in adn.

[2]) Hom. Il. *M* 208

Τρῶες δ' ἐρρίγησαν ἐπεὶ ἴδον αἰόλον ὄφιν.

[3]) de cons. phil. V carm. 2. Hunc propter concentum moneo ne putes Boethium ipsius Anacreontis carmina legisse; multo uerisimilius est eum aut hoc metrum ex Horati carminibus sumpsisse aut metrici cuiusdam libro usum esse.

[4]) Inc. u. 159.

[5]) conf. Mar. Vict. p. 73, 13 et 115, 9 K.

[6]) p. 50 sqq.

[7]) de cons. phil. III carm. 1; conf. p. 52.

[8]) de hac re uberius quaesiuit Christius in art. metr.[2] p. 224 sqq.; conf. praeterea Luc. Muellerum, de re metr.[2] p. 103.

Luciani uersibus inuenitur uerbum proparoxytonon.[1]) Si plane idem de Latinis quoque uersibus ualeret, necesse esset ubique in exitu uersuum uerba binarum syllabarum, pyrrhichiaca scilicet uel iambica, posita esse. Hoc autem in Liui tantum uersibus ita se habet, ubi syllabam paenultimam sub ictu fuisse manifestum est uel ex eo quod hexametri heroi admixti sunt. Apud reliquos poetas Latinos hexametrorum exitus exhibent quattuor uerba binarum, decem plurium syllabarum, tetrametrorum sedecim binarum, undecim plurium syllabarum. Itaque numerus uerborum binarum et plurium syllabarum in exitu positorum fere idem est (20 : 21). Quae res me mouet, ut putem Romanos his in uersibus syllabam ultimam maiore cum ui pronuntiasse, praesertim cum semper uerba ita pronuntiata ueluti »fruticíbus, posuéro, pepulérit, retrahére, subiérint« perhorruerint.

13a. Neotericos pentametro elegiaco *κατὰ στίχον* usos esse demonstrari non potest; quaecumque enim conlegit exempla Baehrensius praeter uersus reciprocos[2]) omnes ex carminibus elegiacis sumpta esse possunt,[3]) Terentiani uero pentametri singuli[4]) in censum non ueniunt.

14. heptameter dactylicus catalecticus in unam syllabam. De hoc uersu Diomedes haec refert,[5]) postquam de Sereni fr. 20 locutus est: »Sereni aliud tale est, (fr. 21)

pingere conlibitum est, graphidem date, promite bolarium.

superius comma est tetrametrum heroum ex superiore, posterius comma est dimidium elegiaci«. Versus aperte ex tribus partibus constat, quarum tertia est dimidium elegiaci, id est trimeter dactylicus catalecticus in unam syllabam; qui restat tetrameter caesura solita hexametri, nempe semiquinaria, in duas partes diuiditur. Praeter hunc unum uersum alia exempla repperire non potui; uidetur igitur Serenus primus hoc metrum finxisse neque inuenisse qui eum imitarentur.[6])

Addo aliud metrum, quod ex hoc ipso quod modo tractauimus deriuatum est,

15. heptapodiam anapaesticam. Diomedes enim sic pergit: »Sereni aliud tale (fr. 22)

quod si tibi uirgo fauens reseret cito claustra puerperii.

hic si primum semipedem detrahas, erit simile proximo superiori«.

---

[1]) *πίτνϊ* 315, *ἀνώδυνον* 323, *εὐπερίπατον* 324; conf. Friedrichsmeier l. s.
[2]) Inc. uu. 171, 2. 173. 174.
[3]) Hadrian. fr. 2; Inc. uu. 18—20.
[4]) uu. 1865. 2654. 2657. 2967. 2972.
[5]) p. 517, 34 K.
[6]) sed uelim conferas quae disserui infra p. 40.

Alterum exemplum ex eodem scriptore metrico[1]) adferre possumus: »Anapaesticus, qui ex pedibus anapaestis constat, talis est in Sereno[2])

cito testula trita salo currit tibi per speculum, Panope.«

Tertius uersus seruatus est ab Apthonio[3]): »Calabrius etiam uersus, quia occasio admonuit, inter anapaesticos numerabitur, utpote qui ex anapaesto et spondeo constet, uelut

habeatur[4]) ut est uentum, tibi comprecor errorem similem.

nam continet anapaestos duos et spondeum, item anapaestos duos et spondeum, ultimum anapaestum singularem«. Forma igitur uersus secundum Apthonium est haec

⏑⏑ — ⏑⏑ — — — | ⏑⏑ — ⏑⏑ — — — | ⏑⏑ —.

Falsam esse hanc interpretationem apparet; neque enim quadrat in uersus Serenios Diomedis, quem de eodem metro agere uix quemquam negaturum esse puto. Si uero Diomedis interpretationem probauerimus, omnia satis bene se habebunt. Nam primo semipede detracto relinquitur heptameter dactylicus quem supra in tres partes diuisum esse uidimus. Vlterior enim pars est trimeter herous, prior tetrameter, qui item ac supra legitimam caesuram post quintum semipedem exhibet

⏑⏑ | — ⏑⏑ — ⏑⏑ — | ⏑⏑ — ⏑⏑ | — ⏑⏑ — ⏑⏑ —.

Contra si quis putauerit hunc uersum ortum esse ex Aristophanio cui ultima syllaba dempta esset, eius sententiam ob id reiciamus, quod uersus Apthonianus post quartum anapaestum incisus non est. Ceterum haud scio an iure quis propter metrum hunc uersum Sereno attribuat, praesertim cum apud Marium Victorinum seruatus sit quem »saepius Sereni uersus omisso auctoris nomine adferre« iam uidit Baehrensius.[5]) Itaque de hoc metro plane idem statuendum erit quod de heptametro dactylico diximus.

15a. uersu Archilochio maiore non uidentur usi esse *κατὰ στίχον* neoterici; nam Terentianus quamquam quater eum continue posuit,[6]) tamen hoc fecit ubi de metris Horatianis separatim loquitur. Antea uero et postea hoc metrum interdum *κατὰ στίχον* inuenitur, ita tamen ut Prudenti[7]) uersus semper hanc formam exhibeant

— ⏑⏑ — ⏑⏑ — — — ⏑⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏒,

---

[1]) p. 511, 18 K.
[2]) fr. 19, conrectum a Buechelero in Mus. Rhen. uol. 39 anni 1884 p. 289.
[3]) Mar. Vict. p. 126, 30 K.
[4]) »abeatur« coni. Baehrens Inc. u. 117.
[5]) FPR p. 388 in adn.
[6]) uu. 2920—23; conf. praeterea Inc. u. 54.
[7]) perist. 13.

ceteri[1]) primo altero tertio loco uel dactylum uel spondeum nullo discrimine ponant.

16. uersus Asclepiadeus minor in Sereni fr. 18

et nihil est quod amem Flaminia minus;

nam quod Mallius Theodorus dicit[2]): »Metrum aliud dactylicum pentametrum recipit pedes hos, dactylicum siue spondium loco primo et secundo, catalecton in medio, deinde duos dactylos sine catalecto, ut est illud Sereni ....«, hoc eum magis suae ipsius ignorantiae[3]) quam prioris cuiusdam metrici doctrinae debere puto. Legas enim »nil« pro »nihil« et iam habes notissimum illud metrum

Maecenas, atauis edite regibus,

quo Terentianus quoque, Ausonius, Prudentius, Claudianus, Endelechius, Martianus Capella, Apollinaris Sidonius, Luxorius et *κατὰ στίχον*[4]) et in strophis[5]) usi sunt.

16a. uersus Asclepiadeus maior apud Terentianum uu. 2714—22 et in Inc. uu. 74—76.[6]) Eodem uersu poetas Aeolicos imitatus iam usus erat Horatius *κατὰ στίχον*. Horatius quidem et Terentianus semper basin spondiacam posuerunt, Incertorum uero uersiculi, qui propter ipsam hanc rem adferuntur, exhibent basin et spondiacam et trochaicam et pyrrhichiacam.

17. dimeter choriambicus uel choriambus cum bacchio, qui uocatur *Ἀρχιλόχειον* uel *Ἀριστοφάνειον*,[7]) apud Terentianum uu. 2525—30. 33—38 et Inc. uu. 142 et 175. Versum uere esse neotericum constat Terentiani uerbis[8])

uidero, si nouelli
uersus erit poetae,

sed unde eum sumpserint uix dici potest. Exempla enim quae repperi, ubi hoc metrum *κατὰ στίχον* positum est, sunt quinque et

---

[1]) Theodoridas Anth. Pal. 13, 8; Boeth. de cons. phil. V carm. 5. [De forma uersus conf. etiam Eugen. Tol. carm. 9 uu. 15 et 17.] — Cratini fr. 325 K. traditum in Phrynichi ecloga p. 110 Lob. sitne huc referendum cum Christio art. metr.[2] p. 567, dubito.

[2]) p. 590,6 K. Quid Julianus episcopus Toletanus p. 52 de hoc metro dicat, nescio; editionem enim Romanam Juliani bibliothecae regiae neque Lipsiensis neque Dresdensis praebent.

[3]) conf. Westphal, Metrik I[3] p. 130; Otto Hense, de Juba in Actis societ. phil. Lips. uol 4, p. 146 sqq.

[4]) Ter. Maur. uu. 2644—2807 passim; Auson. conf. p. 38; Prud. cath. 5, contra Symm. I praef. p. 213 sqq. Dr.; Claud. fesc. 4 (14) p. 90 K.; Mart. Cap. 1, 91—93; 2, 122; 9, 911 sq.; Sidon. ep. 9, 13, 2 p. 222 M.; Luxor. Anth. Lat. 289, 314, 316, 323, 356, 361 R.

[5]) Prudent. praef. p. 1 Dr.; Endel. Anth. Lat. 898 R.

[6]) conf. Prudent. praef. p. 1 Dr. uersibus tertiis stropharum singularum.

[7]) conf. Christi art. metr.[2] p. 465.

[8]) uu. 2528 sq.

tres uersus Aristophanis[1]) et fortasse bis bini Simiae.[2]) Versus igitur uidetur aetate Alexandrinorum in usu fuisse, et ab eis haud scio an neoterici metrum mutuati sint. Cum uersu Sapphico maiore coniunctus est idem uersus apud Horatium,[3]) et Archilochum quoque quem metrum *Ἀρχιλόχειον* frequentasse apparet ex nomine ipso, ad stropham formandam eo usum esse uerisimile est.

18. tetrameter choriambicus quem uocant metrum Sapphicum

— ∪∪ — | — ∪∪ — | — ∪∪— | ∪ — ⏑

in Sereni fr. 23, apud Terentianum uu. 1897—1907, in Inc. uu. 69. 71. 129. 162. Hunc uersum Serenum secundum Alexandrinorum exempla, imprimis Phalaeci hymnos[4]) fecisse neque antea poetas Romanos talibus uersibus usos esse manifestum est ex Terentiani uu. 1885—92. Et profecto Alexandrinorum aetate choriambos magni aestimatos esse concludere licet et ex Callimachi Brancho[5]) ubi pentameter choriambicus *κατὰ στίχον* positus erat, et ex Simiae technopaegniis, in quibus omnis generis uersus choriambici insunt, ab hexametro usque ad monometrum cui bacchius tantum restat, inter eos Sapphicus quoque.[6]) Hunc ipsum uersum longe notissimum fuisse demonstratur ara Besantini, qui cum uaria metra in unum carmen cogere uellet, hoc exemplum choriambici selegit.[7]) Haud ita Romani. Illud enim quod negat Terentianus[8])

hoc corpore metri
Romanos aliquid ueteres scripsisse poetas,

nos quoque probare possumus. Nam primus inuenitur uersus choriambicus et is quidem Asclepiadeus apud Catullum, tum hexameter choriambicus cuius pes ultimus bacchius est apud Caesium Bassum.[9]) Postea neotericos imitati Sapphico usi sunt Ausonius[10]) et Martianus Capella[11]) *κατὰ στίχον*, Claudianus[12]) in exitu strophae cuius pars prior tres dimetros anacreonteos continet.

---

[1]) fr. 10 K. ex Aeolosicone, et fr. 695 K. quod Dindorfius propter metrum ad eandem comoediam rettulit.

[2]) *πέλεκ.* uu. 9. 10, *πτέρυγ.* uu. 5. 8 Bucol. Graec. ed. Wilam. p. 146 sq.

[3]) carm. I 8; qui tamen uersum pro dactylico habuit; conf. Kiesslingi praef. ad ed. Horati p. XIII.

[4]) nam Sereni quoque fragmentum uidetur hymni initium esse.

[5]) Callimachea ed. Schneider uol. II p. 162 fr. 86.

[6]) *πέλεκ.* uu. 5. 6; *πτέρυγ.* uu. 3. 10.

[7]) uu. 24—26 p. 154 Wilam.

[8]) uu. 1889 sq.; uidentur haec sumpta esse ex Caesio Basso p. 263, 27 K.

[9]) fr. 4 Baehrens = Gramm. Lat. VI p. 264, 1 K.; conf. Simiae *πτέρυγ.* uu. 1. 12, *πέλεκ.* uu. 1. 2.

[10]) conf. p. 38.

[11]) 2, 124.

[12]) fesc. 2 (12) p. 88 sq. K., ubi Sapphicus in duas partes diuisus est, non

18a. uersum hendecasyllabum mirum in modum formatum tractat Terentianus uu. 1939—56. Versus enim constat ex hexametri pedibus primis duobus cum semipede et ultimis duobus, ita tamen ut uersus semper incipiat a spondeo

— — — ◡◡ — | — ◡◡ — ⏓.

Si uero ad uersum quem deriuator ille sagacissimus quasi uelo obscurauit propius accesserimus, uidebimus uersum uere non esse dactylicum, sed trimetrum ionicum a minore

— ⏑́ — | ◡◡ ⏑́ || — | ◡◡ ⏑́ ⏓.

Facile autem intellegemus illum metricum quem Terentianus in hac re secutus est, caesura quam hic uersus fere semper exhibet, commotum esse, ut uersum ita in duas partes dirimeret. Praeterea longa syllaba ineunte uersu pro duabus breuibus posita est, quod aliter uersus ex heroo deriuari non poterat. Eandem fere doctrinam metrici cuiusdam Graeci qui ipse quoque hoc metrum ex hexametro dactylico deriuauerat, uidentur mihi secuti esse auctores carminum quorundam Anacreonteorum,[1]) cum saepissime hac forma pro legitima usi sint

— ◡́◡ — | ◡◡ ⏑́ || — | ◡◡ ⏑́ —.

Terentianum ipsum uel alium metricum secuti hoc metrum adhibuerunt Martianus Capella[2]) et Boethius,[3]) commemorauit Ausonius;[4]) apud Boethium uero praeter legitimam formam, qua Terentianus semper usus est et quam apud illum quoque primariam esse statuit Peiperus,[5]) hae quoque formae inueniuntur

⏓ ◡◡ ⏓ ◡◡ ⏓ | — ◡◡ — ⏓.
⏓ ◡◡ ⏓ — ⏓

Terentianum non secutus est Eugenius Toletanus, cum hunc uersum conscripsit[6])

Crucis almae fero signum: fuge daemon.

---

recte ut ego opinor; nusquam enim altero choriambo exeunte syllabam ancipitem aut hiatum admisit poeta.

[1]) Leon Magister apud Bergkium, Poet. lyr. Gr. p. 1091 = III⁴ 355; Anacreo ed. Mehlhorn p. 219, ed. Michelangeli p. 314; incerti ὠδάριον ἐρωτικόν in Crameri Anecdot. Paris. uol. IV p. 380 et in Hermanni Epit. doctr. metr. § 438.

[2]) 9, 915 sqq., ubi bini uersus intercalares quinquiens repetuntur.

[3]) de cons. phil. I carm. 2; Boethium ex ipsius Terentiani libro hoc metrum sumpsisse (conf. infra p. 52) manifestum est ex his uersibus:

Ter. Maur. 1950 at regina graui saucia cura
Boeth. 5 crescit in immensum noxia cura.

[4]) 393, 88 sqq. (162 S. 248 P.); conf. infra § 10.

[5]) in ed. Boethi p. 225.

[6]) carm. 79 p. 264 Voll.; conf. Draconti de laud. dei 3, 223 p. 98 Voll.:
Petrus . . . crucis almae signifer et dux.

Qui quomodo ad poetam saeculi septimi peruenerit, nescio; tamen Eugenius eum cognoscere potuit uel ex carminibus Graecis[1]) uel ex scriptore quodam metrico.[2])

18b. tetrameter ionicus a minore quamuis raro tamen per omnia poeseos Latinae tempora inuenitur. Exempla enim inueni haec: Varronis sat. Menipp. fr. 579 Buech., Ter. Maur. uu. 2065 sq., Inc. uu. 92. 135—137, Mart. Cap. 4, 424.

18c. idem fere ualet de uersu galliambo, qui tamen post Terentianum[3]) non iam inuenitur, nisi Inc. uu. 30. 31.[4]) 93. 94 posterioris aetatis sunt,[5]) et

19. de uersu Sotadeo[6]) qui inde ab Enni Sota semper in usu fuit apud Romanos usque ad Optatianum Porfyrium.[7])

20. tetrametri cretici exemplum tradidit Diomedes[8]) ex poeta ignoto sumptum

alma lux roscida prima flamma nitens.

Huius autem metri Sereni quoque fr. 7 esse puto cum Baehrensio, quamquam de eo Diomedes[9]) sic uerba facit: »Serenus mirum comma huius modi fecit in his uersiculis,

pusioni meo
septuennis cadens.

haec dimetra ex epitrito sunt. epitritus autem pes constat ex longa et breui et duabus longis. posterior pes aut iambus est aut pariambus.« Metrum igitur carminis putauit esse

— ∪ — — | ∪ —.

Sed dubitari nequit, quin sint aut duo dimetri cretici aut tetrameter, quod mihi magis placet, quoniam neque syllaba anceps neque hiatus inter alterum et tertium creticum inuenitur. Versum creticum

in senectute me baiulant

excripsit Flaminius Vacca[10]) ex ectypo quod nunc admodum mutilatum adseruatur Mutinae. Imaginem, in qua amores senem sella

---

[1]) Synes. hymn. 6.

[2]) Mar. Vict. p. 94, 35 K. = Inc. u. 91.

[3]) uu. 2388—2900.

[4]) quem uocat »neotericum« Diom. p. 514, 23; conf. p. 6 k.

[5]) apud Graecos ultima exempla uidentur esse octo uersus Diogenis Laertii 8, 91 p. 226, 29 Cob.

[6]) Ter. Maur., si nonnullos alios uersus insertos neglegimus, uu. 85—278. 1457—1579. 2013—92; Inc. uu. 61. 82. 87. 88. 118. 133. 140. 169. 170, 3. 172, 2.

[7]) 15, uu. 14 sq. redeuntes p. 17 Mue.; 21, u. »omne genus« rediens, p. 62 Muc.

[8]) p. 513, 22 K. = Inc. u. 168.

[9]) p. 518, 9 sqq. K.

[10]) 111 ed. Schreiber, Berichte der Sächs. Ges. der Wiss. uol. 33 anni 1881 p. 85.

gestatoria ferunt, saeculi secundi fere p. Chr. n. esse dicit Christianus Huelsen,[1]) qui idem coniecit in uersu inscripto unum creticum periisse et toti uersui alterum tetrametrum creticum antecessisse.[2]) Versus igitur, si metrum et aetatem spectamus, optime quadrat ad Sereni fr. 7. — Hoc metro poetis ueteribus Graecorum ducibus saepe usus erat aetate Alexandrinorum Simias, ex cuius carminibus tetrametris creticis conscriptis quinque uersus seruauit Hephaestio.[3]) Hoc igitur poeta neotericos niti uerisimillimum est, sed utrum ipsius carmina legerint an metrum ex metrici cuiusdam arte hauserint, non satis apparet.

20 a. De genere satis miro uersuum ludicrorum[4]) narrat Diomedes.[5]) Erant enim uersus qui inuerso quoque uerborum ordine pronuntiari poterant et qui inde nomen reciprocorum acceperunt. Exemplorum quae adfert Diomedes, unum[6]) »neotericum« esse dicit, de reliquis duobus[7]) nihil accuratius tradit. Neque uero ex Diomedis uerbis concludi posse hos uersus esse neotericos, si eundem huic uerbo sensum tribuimus atque semper facimus, inde apparet, quod et Martialis[8]) loquitur de »carminibus supinis«, et Quintilianus[9]) ex poeta »non ignobili«, fortasse Caesio Basso,[10]) hos adfert uersus

astra tenet caelum, mare classes, area messem,
messem area, classes mare, caelum tenet astra.
caput exeruit mobile pinus repetita,
repetita pinus mobile exeruit caput.

Omittere enim licet Vergili uersum[11])

Musa, mihi causas memora quo numine laeso,

qui sane casu reciprocus est.[12])

---

[1]) Röm. Mitteil. uol. 16 anni 1901, p. 265 adn. 1.

[2]) l. s. p. 268.

[3]) p. 42, 3. 6. 14 Westph., p. 41, 19. 22, p. 42, 3 Consbr.

[4]) conf. Luc. Mueller, de re metr.[2] p. 581 sq.

[5]) p. 516, 24 K. Fere eadem extant apud Mar. Vict. p. 113, 11 K., qui tamen omnia nominis »neotericorum« uestigia deleuit.

[6]) p. 516, 25 sq. = Inc. u. 169; conf. supra p. 61.

[7]) p. 516, 29 sq. = Inc. u. 170, 1.3; p. 517, 11 sq. = Inc. u. 171; in 171, 1 pro »numina« conii. »omina« Baehrens et Leo in Hermae uol. 24 anni 1889 p. 294 adn. 2.

[8]) 2, 86, 1 cum Friedlaenderi adnotatione.

[9]) inst. or. 9, 4, 90.

[10]) Leo l. s.

[11]) Aen. 1, 8; conf. Diom. p. 517, 1 K.

[12]) Alia exempla haec inueni: Mar. Vict. p. 113, 16. 17. 21 K. = Inc. uu. 170. 172; Seru. de centum metris p. 467, 7 K., ficta ut semper; Porfyr. Opt. carm. 13 p. 15 Mue., carm. 15 uu. 9. 10. 11. 14. 15 p. 17 Mue., carm. 21 uersus »omne genus« p. 62. — Nonnulla talia conlegit Muellerus in ed. Porfyri p. 31 sq. — Versus Simonidis et Timocreontis quos adfert Gaisfordius in

Proprium uero genus reciprocorum, quod uocatur anacyclicum, a »neotericis« inuentum esse Diomedes[1]) dixit his uerbis usus: »reciprocum neoterici, si non fallor, nouum protulerunt, ut per duos uersus duo alii recurrant, ut in illis uersibus

Nereides freta sic uerrentes caerula tranant,
flamine confidens ut Notus Jcarium;
Jcarium Notus ut confidens flamine, tranant
caerula uerrentes sic freta Nereides.[2])

hic et in currentibus et in recurrentibus uersibus priores hexametri sunt, posteriores pentametri elegiaci.« Sed supra uidimus eos uersus quos ueteres scriptores »neotericis« attribuunt, admodum uariae aetatis esse posse neque licere eos omnes sine discrimine poetis alterius saeculi quos nos dicimus neotericos ascribere. — Postea anacyclicos fecerunt Optatianus Porfyrius[3]) et Apollinaris Sidonius.[4])

Praeterea commemorandi sunt ei uersus recurrentes »qui«, ut Sidoni[5]) uerbis utar »metro stante neque litteris loco motis ut ab exordio ad terminum, sic a fine releguntur ad summum.« Exemplum quod idem scriptor addit

Roma tibi subito motibus ibit amor,[6])

sitne iure a Baehrensio inter neotericorum uersus[7]) insertum, nescio; nam etsi ex Sidoni uerbis »illud antiquum« concludere licet post saeculum alterum factum id non esse, tamen ex uersu in pariete Pompeiano inscripto[8])

Hephaestionis ed. uol. I p. 491 s. u. »Reciprocus« ex Anth. Pal. 13, 30 sq. = Poet. lyr. Gr. ed. Bergk III[4] p. 506, 170

Μοῦσά μοι Ἀλκμήνης καλλισφύρου υἱὸν ἄειδε·
υἱὸν Ἀλκμήνης ἄειδε Μοῦσά μοι καλλισφύρου,

et p. 541, 10

Κηΐα με προσῆλθε φλναρία οὐκ ἐθέλοντα.
Οὐκ ἐθέλοντά με προσῆλθε Κηΐα φλναρία

non sunt uere reciproci, quoniam uerba in altero uersu miscentur, non inuerso ordine ponuntur. — Addo catalogum uersuum echoicorum qui non multum ante saeculum quartum apud Romanos uidentur orti esse, sed apud Ausonium non inueniuntur: Pentad. Anth. Lat. 234. 235. 265 R.; Sedul. hymn. 1 p. 155 H.; Venant. Fort. 3, 30; (5, 5 uu. 51 sq.;) 8, 2; app. 19; Eugen. Tol. 4, 11 sq.; 9, 21 sq.; 10, 1—10; (21, 29 sq.;) 22, 27—30; 25, 9 sq.; 29; 36, 9 sq.; (97, 23 sq.;) Anth. Lat. 38—80 R.

[1]) p. 517, 3 sqq. K.; conf. supra p. 7 m.

[2]) Poet. Lat. min. ed. Baehrens uol. III p. 169.

[3]) carm. 15, 2 sq. p. 17 Mue.; carm. 28 p. 30 Mue. = Anth. Lat. 81 R.

[4]) epist. 9, 14, 6 p. 230, 3 sqq. M.

[5]) epist. 9, 14, 4 p. 229, 15 sqq. M.

[6]) alterum uersum (Inc. u. 174) recte seclusit Luetjohann.

[7]) Inc. u. 173.

[8]) Kaibel, Epigr. Gr. 1124 p. 506; eundem cum aliis nouem recurrentibus ex codice quodam edidit Duebnerus in Anth. Pal. uol. II p. 608.

ἤδη μοι Διὸς ἄρ' ἀπάτα παρὰ σοί, Διομήδη

apparet iam ante annum 79 p. Chr. n. uersus *καρκίνους* Graece scriptos in Italia notos fuisse. Salmasiani quidem codicis uersum[1])

(huius iam nomine culpet)
nemo te cedis, murorum si decet omen

posterioris demum aetatis esse facile perspicitur ex re orthographica.

Haec hactenus. Iam si quaesiuerimus, quid eis quae exposuimus lucrati simus, omnia haec metra erunt diuidenda in partes sex:

A. metra quae semper apud poetas Romanos in usu fuerunt:
4, 7, 12, 16, 19;

B. metra quae neoterici quodammodo ab obliuione uindicauerunt:
5 quod post Varronem in uolgi tantum carminibus inuenitur,
10 quo post Varronem poetae lyrici usi non erant,
6 quo post Catullum poetae usi non erant *κατὰ στίχον*;

C. metra quae neoterici ab Alexandrinis uidentur mutuati esse:
17 et 20 fortasse a Simia, item
9 a, si uere neotericum est,
18 ex Phalaeci hymnis,
fortasse etiam
1 et 8;

D. metrum quod iam apud Caesiam Bassum inuenitur: 9;

E. metra quae a Petronio Romanis familiaria facta sunt: 2, 3;

F. metra quibus uidentur neoterici primi usi esse:
13 quod uidetur Annianus in Faliscis inuenisse,
14, 15 quae uidetur Serenus inuenisse,
11 quo primus *κατὰ στίχον* uidetur usus esse Serenus.

Postquam metra sic in ordinem redegimus, apparet non esse prorsus simplicem rationem quam neoterici secuti sunt, sed modo hinc modo illinc eos profectos esse in metris adhibendis. Id tamen statuere possumus semper eos studuisse, ut aut noua fingerent aut antiquiora nec iam detrita in suum usum conuerterent. Vidimus enim metra quaedam quibus poetae aetatis Augusteae usi non erant, apud neotericos iterum in honore esse coepisse. Et hoc ipsum optime consentire cum aetatis Hadrianeae ingenio atque indole nemo erit qui neget. Ipse enim imperator »Ciceroni Catonem, Vergilio Ennium, Sallustio Coelium« praeferebat.[2]) Praecipue uero his quoque temporibus uidentur Romani ea exempla imitati esse, quibus semper usi erant, Graecorum dico.

---

[1]) Anth. Lat. 325, 3 R.

[2]) Spartian. uit. Hadrian. 16, 6.

Ac primum quidem quaerendum est, quae ratio intercedat inter neotericos et ea carmina Graeca quae ex eadem aetate fere sola seruata sunt et quae Anacreontea uocamus.[1]). Et certe in nonnullis rebus consentiunt utriusque generis carmina, nam et lasciua et breuia sunt, ita tamen, ut non iam formam epigrammatum uersibus elegiacis compositorum exhibeant, quam antea poetae potissimum dilexerant, sed ex uariis et eis quidem plerumque breuioribus uersibus constent. Sed si metra ipsa spectamus, res prorsus aliter se habet. Apud neotericos, quantum nos uidemus, magna est uarietas metrorum, in Anacreonteis pauca metra tam saepe iterantur, ut lectori totum corpus perlustranti taedium pariatur. Vnum tantum metrum et hic et illic inuenitur, dimeter ionicus anacreonteus (3); dimeter iambicus acatalectus (1) qui uidetur tantopere neotericis in deliciis fuisse, in Anacreonteis omnino deest.[2]) Porro si ad res tractatas accedimus, etiam minores sunt similitudines. Id unum fortasse quis dixerit et in Flori uersibus ad Hadrianum scriptis et in Anacreonteorum carmine 7 (8) poetas exponere sibi nihil interesse diuitiarum ac potestatis, et imprimis similes esse uersus

οὐδὲ φθονῶ τυράννοις

et ego nolo Caesar esse;

sed talia nullius momenti sunt. Accedit quod haec carmina ad res satis diuersas facta sunt: Anacreontea, ut in conuiuiis canerentur, neotericorum carmina, ut ab hominibus eruditis et litteratis legerentur.

Tamen his quoque temporibus apud Graecos non omnino desunt quae cum neotericorum carminibus comparentur; nam quod neoterici praecipue studuerunt, ut numerosi essent, hoc praeter alios poetas Graecos etiam Diogenem Laertium fecisse non solum ex metris quibusdam (8,9) quae supra tractauimus, sed imprimis ex titulo libri quem fuisse *Πάμμετρον* constat, perspicitur. Sed item supra iam uidimus hanc *πολυμετρίαν* non neotericorum et Diogenis aetate demum inuentam esse posse, sed iam antea eius uestigia inueniri atque etiam recedere usque ad Simiae Rhodii et Phalaeci tempora. Hos igitur poetas, de quibus fere nihil scimus[3]) nisi eos numerosissimos fuisse, eorumque aequales et imitatores censeo et poetis nonnullis Graecis ueluti Diogeni et neotericis exempla prae-

---

[1]) carmina 1. 3 (4). 5—20 (6—20) altero fere saeculo p. Chr. n. in unum corpus redacta esse censuit Hanssen, Anacreonteorum sylloge Pal. p. 6; contra Crusius apud Pauly-Wiss. uol. I p. 2047,39. Carmina 21—32 (34) aetati sophistarum ascripsit Crusius l. s. p. 2047,56.

[2]) contra conf. p. 12 adn. 2.

[3]) conf. Susemihlium, Gesch. d. griech. Litt. i. d. Alexandrinerzeit I p. 179 sqq. et II p. 523.

buisse. Quamquam discernere non audeo, utrum neoterici horum poetarum ipsorum carmina legerint an ea cognouerint ex libro metrici cuiusdam, fortasse Caesi Bassi; tetrametrum quidem proceleumaticum uidetur Serenus ex Bassi arte sumpsisse.

Sed praeterea neoterici, ni fallor, ipsi quoque noua metra finxerunt, quamquam haec metra quo magis artificiosa eo minus pulchra sunt. Neque hoc abesse ab horum poetarum natura apparet; fuerunt enim neoterici, item ac Caesius Bassus et Terentianus Maurus, a Varronis disciplina metrica,[1]) quam notum est id spectauisse, ut poetae noua metra excogitare possent.[2]) Quod utrum Annianus et Serenus soli fecerint an alii quoque neoterici, diiudicare non possumus; hos enim uidetur Terentianus, cui omnia fere quae huc pertinent debemus, ante ceteros magni aestimauisse eamque ob rem saepius commemorauisse.

Nonnulla quoque sunt metra quibus poetae posteriores usi sunt neotericorum exemplo commoti. Haec quoque in ordinem liceat mihi redigere secundum aetatis rationem. Inueniuntur

8	in Medea centone,
1, 5	apud Tiberianum,
1, 5, 8, 9, 11, (14,) 18	apud Ausonium,
1, 11	apud [Damasum],
1	apud Ambrosium,
1, 5, 8, 11	apud Prudentium,
(18)	apud Claudianum,
5, 8, 18	apud Martianum Capellam,
5	apud Luxorium,
5	apud Dracontium,
8, 13	apud Boethium,
1, 5	apud Ennodium,
1, 5	apud Venantium Fortunatum,
1	apud Gregorium Magnum,
5	apud Eugenium Toletanum,
8	in inscriptionibus apud Buechelerum.

Nemo igitur metris neotericis saepius usus est quam Ausonius, quin etiam praeter 13 omnia metra neoterica quae carmina poetarum posteriorum exhibent, apud Ausonium iam inueniuntur. Metrum 13 apud Boethium demum reuixisse mirum non est; infra[3]) enim demonstrabo eum hoc metrum petiisse ex Terentiani ipsius libro de metris.

---

[1]) conf. Leonem l. s. p. 294.
[2]) conf. Caes. Bass. p. 271,25 et Leonem l. s. p. 292.
[3]) p. 52; conf. etiam supra p. 28 adn. 3.

Denique memoratu dignum est omnia metra quae Ausonius a neotericis mutuatus est, extare in Sereni fragmentis uel inuenta esse ab eo.

§ 4. De Ausoni metris.

Primum animaduertendum est apud Ausonium neque uersus extare quorum syllaba paenultima contra morem conrepta sit, neque uersus reciprocos. Hoc eo magis mirum est, quod Ausonius ab ineptiolis haud ita auersus erat. Satis enim superque hoc demonstrant Technopaegnion et epistula qua de ostreis egit.[1]) Accedit, quod Ausonius orationem,[2]) carmen satis serium, ex 42 uersibus rhopalicis composuit. Hi uersus, quos Diomedes[3]) appellat »fistulares«, »a monosyllabo uerbo incipientes gradatim crescunt«.[4]) Quos unde Ausonius sumere potuerit, non facile est perspectu, nisi putamus eum Homeri uersum[5])

ὦ μάκαρ Ἀτρείδη, μοιρηγενές, ὀλβιόδαιμον

imitatum esse. Sacerdos[6]) enim aperte dicit se Latinum exemplum non repperisse, et ex Vergili uersu[7])

quarum quae forma pulcherrima Deiopea

uerba commutans format rhopalicum

quae quarum specie pulcherrima Deiopea.

Diomedes praeter Homericum uersum nullum adfert, Seruius, ut semper fecit in libello »de centum metris«, huius quoque generis exemplum sibi finxit[8])

rem tibi confeci, doctissime, dulcisonoram.

Praeter metricorum exempla quinque inueni hexametros rhopalicos;[9]) nonnulli tamen utrum magis casu an consilio rhopalici facti sint, uix discreueris. Primus quidem quantum nos nouimus, rhopalicum Latine scripsit Porfyrius.

---

[1]) 396 ed. Souchay. (p. 164 ed. Schenkl., p. 249 ed. Peiper.). Numeros Soucheanos adfero, quod Thesaurus linguae Latinae eisdem utitur. Ne uero lectores semper cogantur eas tabulas adhibere quibus numeri paginarum Schenklianarum et Peiperianarum comparantur, uncis has inclusas addidi.

[2]) deest apud Souch. (31 S. 19 P.).

[3]) p. 499, 15 K.

[4]) Mar. Plot. Sacerd. p. 505, 27 sqq. K.

[5]) Il. Γ 182.

[6]) l. s.

[7]) Aen. 1, 72.

[8]) p. 467, 15 sqq. K.

[9]) Opt. Porf. carm. 15, 5 p. 17 Mue.; reliqui conlecti sunt a Muellero, de re metr.[2] p. 580.

Numeri uero quibus usus est Ausonius, sunt hi[1]:

1. dimeter iambicus (conf. p. 11 sq. sub 1)

in carminibus 30 (204 S. 330 P.), 96 (222 S. 348 P.), 146 (226 S. 12 P.), 152 (4 S. 6 P.), 154 (7 S. 11 P.) 360, 1—3 (146 S. 218 P.), 393, 71—81 (161 S. 248 P.), 406 (175 S. 239 P.), fragmentum epistulae 1 (226 S. 309 P.). Accedunt 14 carmina, de quibus infra agam, ubi hic uersus cum aliis ad strophas coniunctus est. Item de proprietatibus dimetri et trimetri iambici suo loco dicam.[3])

2. trimeter iambicus, qui duas formas habet, unam Graecam



alteram Italicam



— Illius formae exempla sunt carmina 48 (208 S. 314 P.), 67 (212 S. 339 P.), 155 (7 S. 11 P.), 205 (65 S. 63 P.), 395, 6. 7 (164 S. 254 P.), 396, 20—23 (165 S. 251 P.), 413, 1—46 (182 S. 270 P.), septem carmina spuria (116, 117, 140, 142, 143, 246, 310), tredecim carmina in quibus hic uersus cum aliis ad strophas coniunctus est,

— huius formae Ludus septem sapientum 300—308 (104 S. 170 P.).[5])

---

[1]) item numeros congessit Theobaldus Raehse, de re metrica Ausonii, diss. Rostochiensis 1868 p. 23 sqq.

[2]) anapaestus in tertio dimetri pede uno tantum loco inuenitur 406, 91 (176 S. 242 P.)

lallique somniferos modos.

Alii loci ubi anapaesti uidentur inesse in altero (406, 81) uel tertio (192, 10. 22; 392, 18) pede dimetri uel in quinto pede trimetri (172, 3; 192, 27. 29; 194, 21; 195, 1; 413, 25; 415, 41), ita explicandi sunt, ut »i« uel »u« syllabam non faciat, sed pro consonante legenda sit; conf. Mueller, de re metr. [2] p. 289 sq.

[3]) p. 41 sqq.

[4]) conf. adn. 2.

[5]) in Ludo spondei sedibus imparibus positi tam frequentes sunt, ut sola neglegentia hoc euenire non potuisse persuasum habeam. Itaque non adsentior Luc. Muellero qui in libro de re metr. [2] p. 92 dicit: »ac ne in ludo quidem sapientium consulto credo quasi scaenicae artis similitudine ab Ausonio uitiari iambos, sed potius elegantiae defectu«; nam si hoc uerum est, Ausonius idem uitium in 212 uersibus 76 iens commisit, 22 is in altero, 54 er in quarto pede. Praeterea Ausonium poetas scaenicos imitatum esse ex multis rebus apparet, ueluti ex figuris »Prologi« et »Ludi«, ex eo quod sapientes plausum spectatorum petunt, quod singulos spectatores adlocuntur (304, 4).

3. trimeter iambicus coniunctus cum dimetro iambico in carminibus 17 (200 S. 326 P.), 25 (202 S. 329 P.), 26 (202 S. 329 P.), 50 (208 S. 334 P.), 68 (212 S. 339 P.), 172 (48 S. 38 P.), 192 (57 S. 50 P.), 194 (58 S. 52 P.), 195 (59 S. 53 P.), 216 (71 S. 71 P.), 404 (73 S. 236 P.), 414 (184 S. 273 P.). Haec est forma vulgaris epodon, qua saepe usi sunt antea Archilochus et Horatius, postea Prudentius et Paulinus.

4. trimeter iambicus Hipponacteus (conf. p. 13 sq. sub 4)



in carmine 128 (217 S. 344 P.). Satis mirum in modum trimeter claudus quattuor trimetris uulgaribus praefixus est[1]) in epistulae 396 u. 19 (165 S. 251 P.)

quod si figuras fabulis adumbratas.

Fortasse poeta ab initio hanc partem epistulae uersibus claudis conscribere uoluit, tum uero fere inuitus in uiam solitam numerorum regressus est; uersus enim Hipponacteos non uidetur amauisse. Hoc metrum et ex Catulli et ex neotericorum carminibus sumere potuit.

5. tetrameter trochaicus catalecticus (conf. p. 15 sub 5)



in carminibus 201 (64 S. 61 P.), 326 B (125 S. 115 P.), 384 (14 S. 102 P.), [313 (248 S. 407 P.)] et in epigrammate 51 de quo paulo infra loquemur. Altera syllaba dipodiae producta est in dipodia prima 384,2 post sēmidiem postque totos nonāginta et quattuor,

384,4 inde autumnus noctis horas librans aequo lumine,

tertia 384,2,

384,3 feruidis flagrans habenis pulsum aestiuum conficit,

384,4,

384,7 additis ad hos priores goerōs geminis orbibus

[praeterea in dipodia altera in 313,2 et 3]. Ausonium cum hunc uersum adhibuit, morem neotericorum secutum esse supra demonstraui. Sed utrum tetrameter apud neotericos idem fuerit necne, uideamus. Peruigilium quidem Veneris exhibet hanc formam



[1]) idem factum est in epigrammate Graeco Anth. Plan. 384; sed illa aetate qua hoc carmen scriptum est, uis accentus tanta erat, ut uerisimile sit poetam omnino non animaduertisse se scazontem fecisse.

eandemque fere Apulei fr. 1, Sereni fr. 6, Inc. uu. 21—29, 65, 153, Tiberiani fr. 5, Flori carmina 2 et 5—9.[1]) In Flori uero carminibus 3 et 4, si litteris traditis fides habenda est, et in Tiberiani carmine 1 syllabae longae extant in dipodiarum altero loco, uti in Ausoni carmine 384. Et Flori quidem uersus

3,1 omnis mulier intrā pectus celat uirus pestilens

et 4,3 ambo de donis (comis cdd.) calorem, uite (uitae cdd.) et radio, conferunt

conrexerunt uiri docti, certe iure, si et hi uersus et Peruigilium Veneris uere a Floro facta sunt; quod cum nondum demonstratum sit, uix ei adsentiemur qui uersum 3,1 ita temporum iniquitate uexatum esse dicit, ut tribus locis conrectura opus sit. In Tiberiani carmine 1 legimus hunc uersum (14)

quae fluenta labibunda guttīs ibant lucidis

et praeterea (7)

et nemus fragrabat omne uiolārum sub[2]) spiritu.

Ausonius igitur longas illas syllabas de quibus loquimur morem communem illius aetatis secutus intulit in tetrametrum trochaicum.

6. tetrameter trochaicus catalecticus coniunctus cum trimetro iambico in epigrammate 51 (208 S. 314 P.). Haec forma epodica antea non extat. Fortasse igitur Ausonius eam inuenit, quod haud tam difficile erat; septenarius enim quem neoterici, et senarius quem omnes poetae amauerunt, conglutinati sunt.

7. hendecasyllabus (conf. p. 16 sub 7) quo iam Catullus et postea neoterici usi erant, in carminibus 393, 82—104 (162 S. 248 P.), 396, 24—35 (165 S. 251 P.), 400 (170 S. 231 P.), 471 (120 S. 86 P.), [312 (247 S. 407 P.)]. Ausonium imitatum esse Catullum manifestum est ex carmine 471.

8. uersus Asclepiadeus minor (conf. p. 26 sub 16) in epistula 396, 36—56 (165 S. 251 P.) [et in 311 (247 S. 417 P.)].

9. tetrameter choriambicus (conf. p. 27 sub 18) in Bissulae carmine 329 (126 S. 116 P.) [et in carmine 314 (249 S. 408 P.)].

10. stropha Sapphica, sumpta ex Catullo et Horatio, in carminibus 151 (3 S. 5 P.), 197 (61 S. 56 P.), 198 (62 S. 57 P.).

11. monometer anapaesticus



in carmine 196 (60 S. 54 P.),

---

[1]) edita a Luciano Muellero in appendice ed. Rutili Namat. p. 28 sqq.

[2]) »sub« add. Baehrens.

12. stropha anapaestica ex duobus dimetris et monometro constans



in carmine 211, 1—24 (68 S. 67 P.),

13. dimeter anapaesticus catalecticus siue paroemiacus (conf. p. 16 sq. sub 8) in carmine 176 (50 S. 40 P.). De monometro[1]) id imprimis statuendum est eos qui strophis exeuntibus positi sunt prioribus locis semper dactylicos esse, qua monometri forma Synesius quoque in hymno 10 saepius quam aliis usus est. Vt monometer oritur ex dimetro, si in exitu prioris metri hiatum et syllabam ancipitem fieri permittitur, sic stropha quoque Ausoniana ni fallor ex uersu continuo facta est. Diomedes[2]) enim hoc adfert exemplum pentametri anapaestici acatalecti

celebret Phoebus cithara superos omnipotentes resonetque
melos Musis placitum.

Hoc in uersu si dipodiis et altera et quarta exeuntibus hiatum et syllabam ancipitem poetae concesserimus, habebimus stropham supra adlatam. Sed siue hoc uerum est, siue non est, id constat Ausonium in metris anapaesticis adhibendis neotericorum morem quodammodo secutum esse. Hoc eo certius est, quod Ausonius alio metro anapaestici simillimo aperte Sereni carmen imitatus est, dico

14. tetrametrum proceleumaticum catalecticum (conf. p. 17 sq. sub 9) in carmine 186 (54 S. 46 P.).

15. trimeter dactylicus catalecticus



in carmine 200 (63 S. 58 P.). Quamquam pedis tertii arsis omnino non adest, tamen uersus hypermeter inuenitur (16)

sobrius et puerorum
utilis ingeniis.[3])

Theses numquam soluuntur, nam in u. 13

credita puerities

---

[1]) conf. Julian. symp. 318D sqq. p. 409 Hertl.; Synes. hymn. 3. 4. 10; Clemens Alex. hymnus in exitu Paedagogi I p. 291 sqq. ed. Stählin. — Luc. Mueller, de re metr.[2] p. 104 sq.

[2]) p. 76,5 K. = Inc. u. 53.

[3]) conf. Th. Raehsium l. s. p. 29.

sine dubio ue uelut dipthongus proferendum est. Versu, si omnia carmina hoc metro scripta seruata sunt, primus usus est Ausonius *κατὰ στίχον* in carmine maiore; pauci uersus extant in Euripidis Troad. 1094—99 = 1112—17.

16. tetrameter dactylicus catalecticus in unam syllabam (conf. p. 20 sqq. sub 11) in carminibus 187 (54 S. 46 P.) et 78 (218 S. 345 P.).

17. hexameter dactylicus catalecticus et

18. distichon elegiacum in plurimis carminibus Ausonianis.

18a. pentameter elegiacus *κατὰ στίχον* positus (conf. p. 24 sub 13a) in Anacharsis sententiis olim Ausonio attributis.[1]) Idem metrum extat Graece in hymno quem Heliodorus in Aethiopicis[2]) a uirginibus Thessalis recitari finxit; sed iam antea a poetis Graecis talia carmina composita esse testatur Aelius Lampridius,[3]) cum dicit: »uersus in Commodum Antoninum dicti

Commodus Herculeum nomen habere cupit etc.

hi uersus a Graeco nescio quo compositi a malo poeta in Latinum translati sunt«. Postea pentametris adsiduis usus est Martianus Capella.[4]) Paulinus quoque Nolanus in fine carminis 25 quod constat distichis elegiacis, tres pentametros subnexit.[5])

19. trimeter dactylicus catalecticus cui praecedit tetrameter dactylicus acatalectus

$$- \overline{\smile\smile} - \overline{\smile\smile} - \overline{\smile\smile} - \smile\smile$$

in carmine 184 (53 S. 45 P.), et

20. idem uersus, cui praecedit hexameter herous (stropha Archilochia prima) in carminibus 185 (54 S. 46 P.) et 327 (125 S. 115 P.). Trimeter, in quo multos spondeos inesse uidimus ubi *κατὰ στίχον* adhibebatur, in his strophis semper meros dactylos exhibet. Stropha Archilochia (20) plane eadem iam Horatius usus est in carmine 4, 7; alteram stropham (19) frustra quaeras ante Ausonium, sed fortasse aliquid lucrabimur ex Sereni fr. 21

pingere conlibitum est, graphidem date, promite bolarium.

Hunc heptametrum dactylicum supra[6]) uidimus constare ex isdem duabus partibus atque stropham Ausonianam, nempe »tetrametro heroo« acatalecto et »dimidio elegiaci« i. e. trimetro dactylico

---

[1]) 315 (249 S. 408 P.).

[2]) 3, 2 p. 79, 9 ed. Bekker = Anth. Pal. 9, 485. De Philippi epigrammate Anth. Pal. 13, 1 conf. Christi art. metr. p. 211.

[3]) uit. Antonin. Diad. 7.

[4]) 9, 907 sq.

[5]) uu. 239—241 p. 245 H.

[6]) p. 24 sub 14.

catalectico in unam syllabam. Porro ut putem Ausonium hoc in metro adhibendo Serenum secutum esse, id me mouet, quod Ausonius praeter primum carminis sui uersum nusquam in exitu tetrametri syllabam longam posuit.

21. hexameter herous coniunctus cum dimetro iambico ad stropham quam uocant Pythiambicam priorem in epistulis 399 (168 S. 228 P.) et 392 (158 S. 254 P.); quam stropham ex Horati epodis sumere potuit Ausonius.

Sed quoniam omnes strophas attulimus in quibus uersus iambici insunt, iam uideamus quae sit forma uersuum iambicorum apud Ausonium. Qua in re tractanda omittemus et trimetrum claudum in quo nihil noui nos offendit, et senarios Ludi septem sapientum qui certe more Italico formati sunt. Adferamus igitur formas dimetri et trimetri et *κατὰ στίχον* et in strophis adhibitorum:

a) dimeter *κατὰ στίχον* ⏑⏑/⏑ ⏑⏑/— */⏑ — ⏑⏑/⏑ — ⏑ ⏑/—

b) dimeter in stropha ⏑⏑/⏑ ⏑⏑/— */⏑ — ⏑̄ — ⏑ ⏑/—

c) trimeter *κατὰ στίχον* ⏑⏑/⏑ ⏑⏑/— ⏑ ⏑⏑/— ⏑̄[1] ⏑⏑/— */⏑ ⏑⏑/— ⏑̄ — ⏑ ⏑/—

d) trimeter in stropha ⏑⏑/⏑ ⏑⏑/— ⏑[2] ⏑⏑/— ⏑̄ ⏑⏑/— */⏑[3] ⏑⏑/— ⏑̄ ⏑⏑/— ⏑ ⏑/—

His in uersibus omnes loci asterisco notati miri sunt; ex re igitur erit eos excribere[4]:

a) 30,1 (204 S. 330 P.) Ogygiae me Bacchum uocant[5])
152,10 (4 S. 6 P.) rei diuinae copia est
152,17 (4 S. 6 P.) maiestas unius modi
360,1 (146 S. 218 P.) lasciuā, Paule, pagina
406,22 (175 S. 240 P.) collega Augusti consulis
406,62 (176 S. 241 P.) quibusdam ōmissis perleget
406,76 (176 S. 242 P.) Ausonius, nomen Italum

---

[1]) duae breues in carmine [117], 1 (253 S. 422 P.); conf. p. 36 adn. 2.

[2]) longa syllaba in epistulae 414 (184 S. 274 P.) u. 23
mercator quo ⟨libet⟩ foro uenalium,
duae breues in eiusdem epistulae u. 43
iam iam Perusina, iam Saguntina fame,
sed uterque locus homini critico dubitationes mouet.

[3]) duae breues in epistulae 414 (185 S. 275 P.) u. 47
Triptolemon olim, siue Epimenidem uocant
excusantur nomine proprio Graeco.

[4]) item eos conlegit Raehsius p. 34 sq., sed ita ut rem iterum tractare fortasse non sit inutile.

[5]) »Ogygia . . . uocat« conr. Lugdun.

b) 404,12 (173 S. 237 P.) declinās, ut Lucas boues
c) 205,1 (65 S. 63 P.)[1]) facete, comis, animō iuuenali senex
413,23 (182 S. 271 P.)[2]) dic ‘te ualere,’ dic ‘saluere te iubet
d) 68,1 (212 S. 339 P.) unam iuuencam pastor forte amiserat

Quamquam tribus locis inusitata species uersus nominibus propriis quodammodo excusari potest, tamen tot restant, ut coniecturis tolli nequeant. Quaerendum igitur est, utrum Ausonius hos undecim uersus, qui satis pauci sunt, si consideramus in eius opusculis 348 dimetros et 210 trimetros extare, fecerit oblitus praeceptorum metricorum an artis metricae lege quadam adductus. Quod ut discernere possimus, perscrutemur dimetros et trimetros neotericorum; ex ea enim aetate quae fuit inter neotericos et Ausonium neque dimetri neque trimetri seruati sunt. In censum uenire possunt 56 dimetri,[3]) qui omnes hanc formam praebent



Trimetri, si Apulei fr. 2 et *Ἀνεχόμενον*[4]) omittimus quae aperte more Italico composita sunt, aut hanc[5])



aut hanc[6]) formam



exhibent. Separatim uero tractandi sunt Inc. uu. 41

caerula nec aliter superāns liquida malaciae

et 49 acutā falce si uirentis aesculos.

---

[1]) hoc exemplum, ut alia quoque, non attulit Raehsius, attulit (p. 35) u. 4

medella nostri, Nepotiane, pectoris;

uidetur syllabam Ne longam putasse. Idem fere ualet de 216,3 (71 S. 71 P.)

historia si quos uel poeticus stilus.

Versum quoque 205,13

et Epīrote Cinea memor magis

melius erat omnino non adferre; notum enim est Ausonium in nominibus Graecis ubi ea in uersus Latinos inserit quantitatem syllabarum plane neglegere eum morem secutum quo tunc Graeci utebantur.

[2]) eiusdem carminis u. 39

uidi paratum cruciānti cantherio

sumptus est ex Plauti Capt. u. 814.

[3]) Sereni fr. 2, Hadriani fr. 3, Alphi Auiti fr. 1—3, Mariani fr. Lupercaliorum, Incerti odarium FPR p. 375, Inc. u. 123, Terentiani uersus quindecim, Tiberiani fr. 6.

[4]) Anth. Lat. 712 R.

[5]) Inc. uu. 32—37; 39; 170,4; (171,1?).

[6]) Inc. uu. 38, 40, 42—48; Terentianus.

Qui quamquam primo aspectu alieni uidentur esse a forma Graeca trimetri, tamen subito apparebit rem aliter se habere, si eos locos inspexerimus ubi haec fragmenta tradita sunt. Illud enim cum aliis uersibus iambicis Rufinus[1]) ex Jubae libro quarto excripsit qui exempla iamborum maxime frequentata ita conlegerat, ut semper uersui Graeco parem uersum Latinum subiceret. Bini uero uersus tantopere inter se congruunt, ut syllabae breui in uersu Graeco semper respondeat breuis syllaba in uersu Latino, item longae longa.[2]) Versui igitur Graeco

ἱμάτιον ἐφόρει μαλακὸν ἐρίων Σικελικῶν

— ∪∪∪ ∪∪— ∪∪∪ ∪∪— ∪∪∪—

non potest respondere uersus Latinus huius formae

— ∪∪∪ ∪∪— ∪∪— ∪∪∪ ∪∪∪—,

et satis difficile est dictu, cur Baehrensius emendationem lenem Keili

caerula nec aliter liquida superans malaciae

non probauerit, nisi putamus eum fere inuitum coactum esse, ut uerba tradita conseruaret, cum ei coniectura apta a Keilio iam praerepta esset. Nec melius tractauit fr. 49 quod adseruit trimetris iambicis inuito Apthonio[3]) qui haec dicit: »nam aut creticis aut eorum solutionibus, id est paeonibus aut primo aut quarto, indifferenter mixtis carmen ediderunt, sed et bacchiacis et creticis coniugationibus adaeque usi sunt, ut est hoc,

acuta falce si uirentis esculos.«

Baehrensius quidem adfirmat Marium Victorinum »de metro erasse«, sed quidnam eum in errorem induxerit non dicit, nec quomodo in trimetrum iambicum syllaba longa »acutā falce« inrepere potuerit exponit. Omnia uero optime se habent, si cum Apthonio putamus uersum constare ex duabus partibus paribus

∪——|—∪—‖∪——|—∪—

quarum utraque bacchium et creticum exhibet. Hoc non casu factum esse mea sententia manifestum est. Et cur poetae cuidam,

---

[1]) p. 561, 11 sqq. K.

[2]) nam uersus 562, 5 = Inc. u. 38

misera marino quae timida in litore

certe conrigendus est; et si ea probauerimus quae supra exposui eius coniecturam maxime probabimus qui pari uersu Graeco

Δαναὸς ὁ πεντήκοντα θυγατέρων πατήρ

nisus erit. Hoc uero solus fecit ten Brink (Iubae reliquiae p. 20) qui scripsit »quae tumidula litore.«

[3]) apud Mar. Vict. p. 97, 4 K.

qui uiderat creticum ubique cum pacone uel primo uel quarto coniungi, ditrochaeos etiam et diiambos ionicis et choriambis admisceri, in mentem uenire non potuit, ut cretico carmini bacchios insereret? Vterque enim pes est quinarum morarum. Immo si praeterea animaduerterimus hoc uersu agi de uita agresti, de qua summi neoterici tanto studio et amore egerunt, dicemus et propter rem et propter metrum neminem hunc uersum scribere potuisse nisi neotericum. In neotericorum igitur uersibus iambicis qui more Graeco formati sunt syllabam longam tertio dipodiarum loco non inuenimus. Quae cum ita sint, conligemus[1]) Ausonium quamquam legis inscius non erat, lapsu quodam memoriae peccasse, et quod mensuram syllabarum ex libris poetarum antiquorum, non ex sermone cotidiano didicerat et quod multos praeterea senarios more Italico fecit.

§ 5. Serenus comparatur cum Ausonio.

Proficiscendum est a titulo carminum Sereniorum,[2]) quem fuisse »Opuscula ruralia« constat. Nonius enim idem fragmentum (8) adfert et uerbis »Serenus Opusculis« et »Serenus Ruralibus«, et Terentianus Maurus[3]) dicit

docuit quo ruris opuscula libro,

ubi pro »ruralia« poetae libertate usus posuit »ruris«. Solitum uero nomen erat »Opuscula«, ut quater apud Nonium,[4]) semel apud Terentianum,[5]) semel apud Marium Victorinum.[6]) Hanc tituli formam Ausonius ad sua carmina transtulit.[7]) Neque enim solum uerbis in codice Vossiano traditis »abhinc Ausonii opuscula« hoc demonstratur, sed Ausonius ipse quoque bis carmina sua hoc nomine appellauit: »imagini ipsius hi uersus subscripti sunt neque minus in opusculorum meorum seriem relati«, et »ergo nisi Delirus tuus in re tenui non tenuiter laboratus opuscula mea, quae promi studueras, retardasset«.[8]) Itaque non iam licet suspicari Ausonium nisum esso loco Horatiano[9])

---

[1]) idem statuit Luc. Mueller, de re metr.[2] p. 92.
[2]) FPR p. 384 sqq.
[3]) u. 1975.
[4]) conf. fr. 1, 12, 13, 15.
[5]) conf. fr. 23.
[6]) conf. fr. 11, quod per Apthonium ex Terentiani loco sumptum est.
[7]) conf. Marxium apud Pauly-Wiss. I p. 2566, 11.
[8]) 318, 4 (32 S. 21, 14 P.) et 400, 3 (169 S. 231, 15 P.).
[9]) epist. 1, 19, 35.

scire uelis mea cur ingratus opuscula lector
laudet;

apud Horatium enim »opuscula« non est titulus libri. Ceterum Ausonius multa quoque singula carmina opuscula nominauit.

Nunc, quoniam de titulo locuti sumus, quaerendum est, quae fuerint forma et argumentum Opusculorum Sereni. Ac primum quidem ea constitisse ex carminibus breuibus uel ex eo apparet, quod carmina longa metris tam difficilibus confecta neque a poeta perfici neque a lectoribus tolerari poterant. Argumentum potissimum fuit bucolicum, quod ex permultis fragmentis manifestum est. Poeta audit canticulum zephyri (11), aruorum pulchritudine ad pingendum commouetur (21), proficiscitur a uilla ad mercatum et antea cum uilico conloquitur. Nonnullis locis agriculturae et piscatus mentio fit (2. 9. 10); ad pueros in maris ora ludentes (19) et in agros qui ab hominibus lepores uenantibus sonitu complentur (16. 17), ducimur a poeta. Sed didascalica quoque quodammodo haec carmina fuisse constat ex Terentiani Mauri u. 1975

Septimius docuit quo ruris opuscula libro.

Quocum conuenit optime, quod in fr. 2 origo uerbi occandi inquiritur. Anniani quoque fr. 3 praecepti speciem prae se fert.

Jam si circumspicimus, ubi similis carminum series extet, obuiam se nobis fert Ausoni Ephemeris.[1]) Nam quamquam Ausonius in his carminibus non rure ut Serenus, sed in urbe[2]) uiuentem se inducit, tamen et si rem omnem et si singula spectamus, multa simillima sunt. Hoc quoque opus totum diuisum est in carmina breuiora, quae ipsa quoque uaria metra exhibent, et ita quidem, ut alternis uicibus dimetri iambici acatalecti, uersus maxime neoterici, alia metra sequantur. Id certe concedendum est non tantam esse uarietatem metrorum in Ausoni Ephemeride atque in Sereni fragmentis; sed numquam neglegendum est nos nescire quotiens singula metra in Sereni Opusculis inuenta sint; fortasse igitur dimeter iambicus apud Serenum eandem uim habuit atque apud Ausonium. Praeterea Ausonium in carminibus similibus diuersis metris usum esse et ex ipsa re intellegi et argumento probari potest. Nam primum Ephemeris facta est in priore Ausoni uitae parte,[3]) difficiliora uero metra in posteriore demum, quantum nouimus, imitando effingere ausus est; tum Ausonius, ut Serenus in Opusculis carmen ad Janum precatus est (23), sic in Ephemeridem orationem (153) inseruit, pro metro uero choriambico hexametris dactylicis usus est.

---

[1]) 151—157 (3 S. 5 P.).
[2]) 154, 4; 155, 3.
[3]) conf. Peiperum p. LXXXXV.

Et praecepta quoque nonnulla ut in Sereni Opusculis, sic in Ausoni Ephemeride insunt, ueluti »Locus ordinandi coqui« (156). Sed ut apud Ausonium non licet censere Ephemeridem factam esse docendi causa, sic ex Terentiani uerbis effici non potest Serenum Opuscula sua conscripsisse, ut lectorem aliquid doceat. Itaque quamquam non puto Ausonium in Ephemeride Serenum accuratissime imitatum esse, tamen id mihi persuasi ex hoc Ausoni opere nos uerissimam speciem Opusculorum Ruralium capere posse. Fuerunt igitur carmina breuia quibus uita et opuscula eius qui rure uiuit describebantur, et ita fortasse, ut opera unius diei ex ordine tractarentur.[1]) Qua in re poeta quidem non id spectabat, ut lectorem aliquid doceret, lector uero tamen aliquid discere poterat.

Parentalium carmine 27[2]) Ausonius aperte imitatus est id carmen ex quo Sereni fragmenta 16 et 17 relicta sunt.[3]) Nam et metrum satis mirum[4]) et uerba »properiter abiit« uel »obiit« ita inter se consentiunt, ut de casu cogitari non possit. Serenus uero secutus est Hadriani illud carmen[5]) quod moriens fecisse dicitur, ita tamen ut ex Hadriani tribrachis proceleumaticos efficeret. Quamobrem fortasse ex Hadriani et Ausoni carminibus nonnulla lucrari possumus ad Sereni carmen restituendum. Ac primum quidem constat fr. 16 fuisse initium carminis Serenii:

Hadrianuus animula uagula blandula
Serenus animula miserula properiter abiit
Ausonius et amita Veneria properiter obiit.

Cum et Hadriani et Ausoni carminibus de morte agatur, censeo Sereni quoque carmen compositum fuisse in mortem cuiusdam. Carmen fuisse epigramma sepulcrale eo uerisimilius fit, quod Diogenis quoque Laertii uersus proceleumatici inter sepulcrales habendi sunt. Sereni epigramma fortasse factum est in mortem leporis[6]) qui in fr. 17[7]) commemoratur. Hunc uersum eiusdem carminis esse demonstratur similitudine uerborum »celeripes« apud Ausonium et »auipes« apud Serenum. Etiam »loca« Erebi et uerbum tale quale »pallidulus« uel »placidulus« apud Serenum non defuisse ex simili-

[1]) conf. Ribbeck l. s. p. 323.
[2]) 186 (54 S. 46 P.).
[3]) conf. Baehrensium ad Sereni fr. 16.
[4]) conf. p. 17 sq. sub 9.
[5]) fr. 3. Verbis Anglicis reddidit Byronius, Hours of Idleness uol. III p. 98 ed. Tauchnitz.
[6]) in Anth. Pal. 7, 207 extat Meleagri carmen sepulcrale εἰς λαγωόν, quod tamen carminis Serenii dissimile est.
[7]) de hoc fragmento contra ea quae Westphalius in libro de re metrica Graecorum II, 2: Allgemeine griechische Metrik 1865 p. 129 scripsit, optime disseruit Otto Hense, de Juba, in Actis societatis phil. Lips. tom. IV p. 11 sq.

tudine Hadriani et Ausoni concludo. Quaeritur autem, num is quoque uersus quem ter adfert Marius Victorinus[1])

nemus aue reticuit, ager homine sonat,[2])

ex eodem carmine haustus sit. Hoc uersu, cum apud Terentianum desit, aut Juba aut Apthonius ipse primus uidetur usus esse. Certe Sereni esse uersum propter metrum uerisimile est. Sic igitur fortasse carmen Sereni compositum fuisse suspicor. Initium capiebat a uersu

animula miserula properiter abiit.

Tum poeta uenatores profectos faciebat et agrum tanto hominum clamore completum, ut aues in nemoribus reticerent:

nemus aue reticuit, ager homine sonat.

Denique lepus uel telo uel canibus immissis moritur:

perit; abit auipedis animula leporis.

Postea utrum aliquid secutum sit necne diiudicare nequeo.

Duobus igitur argumentis probauimus Ausonium Sereni carmina legisse et imitatum esse; nunc adferamus eos locos ubi fortasse ratio quaedam inter hos poetas intercedit, certi tamen nihil proferri potest.

In Ausoni carminis »de ratione puerperii maturi«[3]) u. 35 »claustra partus« dictum est secundum Serenium illud »claustra puerperii«.[4]) Ex Censorini enim loco quo Ausonius ceteris in rebus usus est, haec uerba sumere non potuit.

Ad Ausoni epistulae 418 uu. 13—16 (187 S. 285 P.)

est et harundineis modulatio musica ripis
cumque suis loquitur tremulum coma pinea uentis.
incubuit foliis quotiens leuis eurus acutis,
Dindyma Gargarico respondent cantica luco

Peiperus adfert Ouidi met. I 706 sq.

dumque ibi suspirat (Pan), motos in arundine uentos
effecisse sonum tenuem similemque querenti.

Meliore uero iure quam uersus Ouidi, qui fere nullam similitudinem exhibent, comparabimus fr. 11 Sereni

pinea brachia cum trepidant,
audio canticulum zephyri.

Consentiunt enim »coma pinea« et »pinea brachia«, »tremulum« et »trepidant«, »cantica« et »canticulum«. Itaque contendam Ausonium

---

[1]) p. 53, 11, p. 78,7, p. 99, 12 = Inc. u. 63.

[2]) sic Marius Victorinus bis, semel »silet«, quod, cum praecederet »reticuit«, ex »sonat« facilius oriri potuit quam »sonat« ex »silet«.

[3]) 369 (156 S. 97 P.).

[4]) fr. 22; similitudinem iam uidit Wernsdorfius, Poet. Lat. min. uol. II p. 286 adn. 12.

sua ab Ouidio certe non petiisse, a Sereno petere potuisse.[1]) Similes Ausonianis sunt uersus nonnulli Claudiani,[2]) tamen non ita ut eodem auctore eos usos esse credendum sit. Cum Sereno quidem Claudiano nihil commune est, nisi quod uterque de pino loquitur.

In Mosellae uu. 176 sq. (88 S. 126 P.) Ausonius dicit

inter Oreiadas Panope fluuialis amicas
fugit lasciuos paganica numina Faunos,

et idem nomen Panopae inuenitur in Sereni fragmentis 9 et 19

geritque intus in oppidum
anhelos Panopae greges.

cito testula trita salo currit tibi per speculum, Panope.

Iam quaeramus de nomine non tam frequenti. Homerus[3]) et Hesiodus[4]) plane consentientes id adferunt in catalogis Nereidum inter nomina Doridis et Galateae. Apollodorus[5]) quoque eam in catalogum Nereidum inseruit, ordine tantum mutato. Lucianus[6]) eam cum Galatea conloquentem facit. Apud Alciphronem[7]) Panope est uxor piscatoris quae maritum adhortatur, ut sibi fidelis sit; hic nomen fortasse scriptor elegit, ut significaret mulierculam »omnia uidere«, etiam ea quae maritus suo iure celare studet. Nonniani[8]) quoque loci quibus Panope commemoratur catalogorum Nereidum speciem prae se ferunt. Apud Vergilium[9]) bis extant uerba »Panopeaque uirgo«, et ex aliis uerbis apparet Panopen hic quoque esse Nereidem. In Epicedio Drusi quod uocatur[10]) Panope est soror Thetidis quae Achillem mortuum deflet; hic uero primum si temporis rationem habemus, Panope sola nominatur, antea semper coniuncta cum aliis Nereidibus. Antea igitur Panope una erat ex multis Nereidibus, tunc ita societatem sororum non desiderat, tantopere auctoritate ipsa ualet, ut poeta uel pro mari metonymice dicere possit »Panope«. Hoc fecit Serenus. Nam in fr. 9 »anheli

---

[1]) Eiusdem carminis Ausoniani uu. 20 sq.

cymbala dant flictu sonitum, dant pulpita saltu
icta pedum, tentis reboant caua tympana tergis

sumpti sunt ex Catulli c. 63, 21

ubi cymbalum sonat uox, ubi tympana reboant.

[2]) de raptu Pros. 1, 205—211.

[3]) Il. Σ 45 eumque secutus Hygin. fab. praef. p. 10 Schmidt.

[4]) Theog. 250.

[5]) 1, 2, 7.

[6]) dial. marin. 5.

[7]) I 6 p. 6 Schepers.

[8]) 43, 100. 264; 39, 255.

[9]) Aen. 5, 240. 825.

[10]) Poet. Lat. min. ed. Baehrens uol. I p. 119 u. 435.

Panopae[1]) greges« sunt pisces marini qui ab ignoto quodam homine in oppidum geruntur, ut ibi ueneant, et in fr. 19 pueri in ripa maris ludentes lapidibus super summam aquam iactis delectantur.[2]) Eodem fere modo quo Serenus, Panopae nomine usus est Ausonius, sed apud eum »Panope fluuialis« plane idem est ac »nympha fluminis«; pro genere igitur ponitur nomen proprium personae cuiusdam quae eius generis est. Praeterea nomen a nympha maris translatum est ad nympham fluminis. Hac uero in re rationem quandam intercedere inter Serenum et Ausonium quam tamen accuratius perspicere non possumus, non abhorret ab omni uerisimilitudine.

Eundem uersum Serenium

anhelos Panopae greges

fortasse Ausonius in animo habuit cum scripsit de piscibus

et pecus aequoreum tenui uice uocis anhelat[3])

et

squamigeri gregis ede choros.[4])

Iam supra[5]) diximus Ausonium metrum choriambicum carminis 329 (126 S. 116 P.) fortasse ex Sereni fr. 23 petiisse, nunc uideamus utrum uerba quoque huius carminis imitatus sit Ausonius. Similia sunt:

Ser. 1 sq. Jane pater ... rerum sator
a. Aus. 333,5 (19 S. 26 P.) anne pater rerum
b. Aus. 317,6 (30 S. 18 P.) magne pater rerum
Ser. 1 Jane ... biceps biformis
c. Aus. 333,5 (19 S. 26 P.) Jani mense bifrontis
d. Aus. 377,2 (10 S. 98 P.) Jane bifrons
Ser. 2 o cate rerum sator
e. Aus. Mos. 400 (95 S. 137 P.) legumque catos
f. Aus. 317,25 (31 S. 18 P.) Augustus geminum sator Augustorum
g. Aus. 406,28 (175 S. 240 P.) satorque prolis aureae
Ser. 4 Jane .... aurea claustra mundi
h. Aus. 332,37 (18 S. 26 P.) aurea uenturo, Sol, porrige gaudia Jano

Sed uersus c et d sumpti sunt ex Verg. Aen. 7,180 »Janique

[1]) sic enim cum editione Mediolanensi Terentiani scribendum est. Buechelerus qui cum aliis uiris doctis scribit »Panope«, prorsus aliter hoc fragmentum explicat in Mus. Rhen. uol. 39 anni 1884 p. 289.

[2]) conf. Buechelerum l. s. p. 289 sq.

[3]) 418, 19 (188 S. 285 P.).

[4]) Mos. 83 (84 S. 122 P.).

[5]) p. 27 sub 18.

bifrontis imago«, f ex Verg. Aen. 1,254 = 11,725 »hominum sator atque deorum«, reliqui non ita inter se consentiunt, ut de auctore et de imitatore loqui liceat.

»ad instar« quam locutionem Seruius adfert ex Sereni carminibus (fr. 24) ut memoratu dignam, apud Ausonium extat in carmine 303, 13 (108 S. 176 P.)

ad usque puncti tenuis instar quaerere.

Sed Ausonius eam ex Apulei quoque scriptis sumere potuit.[1])

§ 6. Annianus comparatur cum Ausonio.

Locos ubi Ausonius Annianum[2]) imitatus sit, frustra quaesiueris, neque hoc mirum est, cum tria tantum fragmenta octo omnino uersuum extent. Sed Ausonius aliam rem satis dignam quam tractemus memoriae tradidit; in epilogo enim centonis nuptialis[3]) scripsit: »nam quid Anniani Fescenninos, quid antiquissimi poetae Laeuii Erotopaegnion libros loquar?« Fortasse ex re erit quaerere, utrum Ausonius Anniani Fescenninos qui nusquam alibi commemorantur ipse legerit, an titulum ex alio scriptore petiuerit. Videamus igitur, ubi et quomodo Anniani fragmenta adferantur.

Ac de primo quidem alteroque fragmento non multis uerbis opus erit disputare. Illud enim apud Terentianum solum seruatum est, hoc praeterea apud Marium Victorinum quem Apthonio interprete loco Terentianeo niti constat. Tertii fragmenti omnes uersus iterum apud Terentianum[4]) solum extant, alii duos tantum uersus uel unum exhibent. Horum uero scriptorum duae sunt partes: altera eorum qui nomen auctoris omittunt, altera eorum qui nomen auctoris quoddam addunt et pro uerbis a reliquis traditis »iugas ita iuga« praebent »ligas ita liga«.

Prioris familiae sunt fragmentum Bobiense[5]) et Priscianus[6]); qui quamquam uersum Anniani mutauit, tamen ea quae ad rem quam tractamus pertinent satis apte tradidit. Res est aperta; fragmentum enim Bobiense ad Jubae libros referendum esse constat, et Priscianus ipse dicit sua se sumpsisse ex Jubae libro octauo. Juba igitur in libro octauo locutus erat de Anniani uersu

quando flagella iugas, ita iuga

---

[1]) conf. Wölfflin in Archiv für lat. Lexicographie uol. II anni 1885 p. 590.
[2]) FPR p. 374.
[3]) 360,2 (146 S. 218,15 P.).
[4]) uu. 2001 sqq.
[5]) p. 623,31 K.
[6]) III p. 421,5 K.

auctoris nomine omisso. Hic uero fortasse Terentiani libro usus est[1]); neque enim casu puto esse factum, ut idem exemplum metri Falisci eligeret ex Anniani carminibus ac Terentianus.

Jam uenimus ad alteram familiam, cuius sunt Marius Victorinus, Seruius, Augustinus. Quos omnes pendere ex Terentiano constat. Terentianus enim nomen Anniani non protulit, sed dixit

talia docta Falisca legimus

et paulo ante (1816) ubi de fr. 1 et 2 loquitur

atque ille poeta Faliscus.

Itaque facile intellegemus, cur apud Marium Victorinum[2]) et apud Seruium[3]) hoc fragmentum attribuatur Septimio Sereno.[4]) Apthonius enim uel eius auctor cui uidelicet Anniani Falisca non iam erant nota, satis erant nota Sereni Falisca, quae eum scripsisse dicit Seruius[5]) uerbis

docta Falisca, Serene, reparas,

falso uersus illos Sereno ascripsit, deceptus praeterea Terentiani u. 1991. Seruium uero uel Apthonio uel eius auctore usum esse manifestum est ex eo quod idem uitium commisit. Augustini locum[6]) ex re erit ad uerbum excribere: »Cuius rei cognitio non arte, sed historia traditur; unde creditur potius quam cognoscitur. Neque enim si Phaliscus, nescio qui, metra ita composuit, ut haec sonant,

Quando flagella ligas, ita liga,
Vitis et ulmus uti simul eant,

scire hoc possumus; sed tantummodo credere audiendo et legendo«. Augustinum Terentiano ipso nullo alio scriptore intercedente usum esse satis superque demonstrant uerba »Phaliscus nescio qui«. Sed oritur quaestio admodum difficilis. Nam quoniam uidimus Apthoni et Augustini uerba communem fontem non habere nisi quae fluit in Terentiani libello, quomodo fieri potuit, ut et Apthonius et Augustinus scriberent »ligas ita liga«, non »iugas ita iuga«? Quam ad rem explicandam quamquam ueram uiam inuenire nequiui, tamen uias quasdam patefacere studui. Itaque aut (1) fuerunt duae familiae codicum Terentianeorum, una quae praebebat »iugas ita iuga«, qua editor Mediolanensis et Juba fortasse, altera quae praebebat »ligas

---

[1]) conf. Hense, de Juba p. 84 sqq. et p. 163; contra Teuffel-Schwabe, hist. litt. Rom.[5] § 373a, 5 p. 947.

[2]) p. 122,15 K.

[3]) ad Aen. 4,291.

[4]) Apthonium (apud Mar. Vict. p. 123,20 K.) fr. 2 sine auctoris nomine ex Terentiano descripsisse mirum non potest esse; idem enim fecit aliis quoque locis, ueluti in Sereni fr. 23 adferendo.

[5]) de centum metris p. 465,6 K.

[6]) de mus. 4,30, Migne uol. 32 p. 1144.

ita liga‹, qua Apthonius et Augustinus nisi sunt, aut (2) Augustini locus conrectus est ex Mario Victorino uel Seruio, postquam Apthonius uitium in uersus Annianeos intulit, aut (3) uerba Terentiani, qui ipse scripserat »ligas ita liga‹, mutata sunt intra saecula quintum et quintum decimum secundum Priscianum uel fragmentum Bobiense. Certo antequam haec res diiudicatur, apud Annianum scribendum est »iugas ita iuga‹; lectio enim et difficilior et aptior est.[1]) Sed haec omnia quocunque modo se habent, id constat omnes scriptores qui uersus Anniani adferunt eos sumpsisse aut ex Terentiano aut ex Juba et Jubam ipsum quoque fortasse sua petiise ex Terentiano.

Tamen haud scio an dixerit quis etiam sexto saeculo carminum Annianeorum librum quendam extitisse, quoniam Boethius, de cons. phil. III carm. 1 aperte Anniani fr. 3 imitatus sit. Neque enim metrum solum idem est, sed uerba quoque nonnulla ita inter se congruunt, ut de casu cogitari non possit:

Ann. 3,3 nam nisi sint paribus fruticibus
Boeth. 2 liberat arua prius fruticibus
Ann. 3,2 uitis et ulmus uti simul eant
Boeth. 4 ut noua fruge grauis Ceres eat.

Sed si acrius rem inspexeris, intelleges Boethium Anniani uersus apud Terentianum legisse; eodem enim modo quo Anniani fragmentum, Terentiani quoque uersus quosdam uicinos imitatus est:

Ter. 1993 carmina per uarios dare sonos
Boeth. 8 desinit imbriferos dare sonos
Ter. 1992 nam lyrici quotiens sua uolunt
Boeth. 1 qui serere ingenuum uolet agrum.[2])

Quae si omnia reputauerimus, dicemus praeter Terentianum[3]) neminem nobis notum esse qui Anniani carmina legerit. Videntur igitur non admodum longo tempore postquam scripta erant interiise. Hanc ob rem Ausonium Fescenninos ipsum non legisse, sed titulum ex scriptore quodam ignoto[4]) sumpsisse contendam.

---

[1]) conf. Colum. 4, 10, 2: nepotibus . . . liberanda censemus (semina), atque ita in iugum imponenda. Ea enim leuis et recta sine cicatrice uinea est, quae se primi anni flagello supra iugum extulit.

[2]) conf. supra p. 28 adn. 3. — Boethium non Terentiani arte sola ad metra inuenienda usum esse apparet uel ex eo, quod contra ea quae Terentianus de trimetro claudo uu. 2408 sqq. praecepit, »iambum tantum loco quinto probe poni‹, saepissime peccauit II carm. 1, III carm. 11; conf. Luc. Mueller, de re metr.[2] p. 162.

[3]) et Gellium scilicet.

[4]) fortasse ex commentario ad Martialis locum (1,4,8) a quo proficiscitur, nonnullis rebus ex suo ingenio additis.

Quae cum ita sint, frustra laborem suscipiet is qui studebit demonstrare Ausonium Anniani carminibus usum esse. Tamen aliquid Ausonius ab Anniano accepit Gellio intercedente. Gellius[1]) enim narrat Annianum »summis adsiduisque laudibus Vergilii uersus« tulisse quibus Volcani et Veneris coitum »uerecunda quadam translatione uerborum« protexisset. Plane eisdem uerbis usus est Ausonius in epilogo centonis nuptialis,[2]) postquam de eadem re locutus est, de loco Georgicorum: »obscenam significationem honesta uerborum translatione uelauit«.

§ 7. Hadrianus, Florus, Peruigilium Veneris comparantur cum Ausonio.

Jam Peiperus uidit initium epilogi centonis Ausoniani[3]) simillimum esse pentametro **Hadrianeo**[4])

lasciuus uersu, mente pudicus eras.

Sed si accuratius Ausoni uerba perscrutati erimus, apparebit eum Martialem, cuius uersum[5])

lasciua est nobis pagina, uita proba

ipse adfert, non Hadrianum secutum esse. Neque enim loquitur de lasciuo uersu, ut facit Hadrianus, sed de lasciua pagina, ut facit Martialis. Idemque ualet de alio loco Ausoniano. In carmine enim in »Leontium grammaticum cognomento Lasciuum« facto[6]) scripsit

Iste, Lasciuus patiens uocari,
nomen indignum probitate uitae
abnuit numquam, quia gratum ad aures
esset amicas.

Hic quoque Ausonium a Martiale pendere demonstratur uerbis »probitate uitae«, quae cum Martialis uerbis »uită probă« multo magis concurrunt, quam cum Hadriani uerbis »mente pudicus«.

In codicibus quibusdam Hadriano attribuuntur duo carmina[7]) quorum singulis uersibus de eisdem personis semper diuersae res adferuntur, ueluti

---

[1]) 9, 10, 1.
[2]) 360, 3 (146 S. 219,24 P.); conf. Peiperi adn.
[3]) 360, 1 (146 S. 218,2 P.).
[4]) fr. 2. — FPR p. 373; Anth. Lat. 392. 393. 660. 903 R.
[5]) 1, 4, 8.
[6]) 197,5—8 (61 S. 56 P.).
[7]) Anth. Lat. 392. 393 R.

Almo Theon Thyrsis orti sub colle Pelori
semine disparili: Laurente Lacone Sabino.

Similes fere sunt uersus Ausoni in Cupidine cruciato[1])

parte truces alia strictis mucronibus omnes
et Thisbe et Canace et Sidonis horret Elissa.
coniugis haec, haec patris et haec gerit hospitis ensem.

Tamen quid de similitudine iudicandum sit nescio; ut res se habent negari nequit illa carmina fortasse redolere neotericorum doctrinam quam Ausonius hoc quoque loco secutus sit.

Simillima sunt ea quae narrant Ausonius in epigrammate 17 (200 S. 326 P.) et Spartianus in uita Hadriani 20,8. Quamquam enim ille dicit responsum datum esse a Laide meretrice, hic ab Hadriano imperatore, tamen responsum apud utrumque prorsus idem est: »patri negaui iam tuo« apud Ausonium, »iam hoc patri tuo negaui« apud Spartianum, nisi quod Ausonius metri causa uerba transposuit et »hoc« omisit. Quamobrem fortasse Ausonius hanc narratiunculam quae nusquam alibi tradita est, uel e Spartiano uel ex alio scriptore qui de Hadriani uita exposuerat petiuit. Sed cur rem de Laide, non de Hadriano narrauerit, ita explicandum esse puto. Ausonius causam adferre uolebat, cur homo ille repudiatus sperauisset se melius profecturum esse, si caput fucasset; talis causa apud Spartianum omnino deest, apud Ausonium homo putat se a Laide propter aetatem quam ex crine cognouisset repudiatum esse, iuuenem uero se iam factum capite infecto sperat non iterum repulsam laturum esse a puella.

Si ad **Florum**[2]) transimus, praeter unum locum[3]) ubi Ausonius fabulam illam a Floro quoque in fr. 12 et 13 tractatam respicit qua rosa de Cypridis uel Amoris cruore orta esse dicitur,[4]) unum tantum carmen inter Ausoniana traditum huc adferendum est, carmen »de rosis nascentibus«,[5]) quod cum Flori qui fertur uersibus de rosis[6]) arte cohaeret. Id enim his tribus carminibus omnibus commune est, quod poetae primum de ueris mane locuntur, tum exponunt, quomodo rosa paulatim florescat, denique homines uel uirgines hortantur, ut rosas conligant, ne pereant. Ausonianum

---

[1]) 325,37—39 (122 S. 111 P.); cf. Sidon. c. 7,79 sqq. p. 278 M.

[2]) de editione conf. p. 38 adn. 1.

[3]) 325, 77 (124 S. 113 P.).

[4]) conf. Peru. Ven. 23 sq.

[5]) 361 (243 S. 409 P.). Hoc carmen quamquam sitne uere Ausonianum non constat (conf. Peiperum in Fleckeiseni annal. suppl. 11 anni 1880 p. 308 et 210), tamen neglegere nolui, quoniam »Inhalt und Form gegen Ausonius als Verfasser nicht streiten«.

[6]) fr. 10 et 11.

uero carmen in eo Flori carminis 11 etiam similius est, quod in utroque poeta uno eodemque tempore rosas uidet, quae impari aetate sunt, in Flori carmine 10 eadem rosa quattuor diuersis diebus aspicitur. Sed non res tantum, sed uerba quoque multa similia sunt:

Flor. 10,3 altera (dies ostendit) pyramidas nodo maiore tumentes
Aus. 27 haec aperit primi fastigia celsa obelisci
Neutrum uocabulum ex arte mathematica sumptum usquam alibi de rosae calyce uidetur dictum esse.

Flor. 11,1 a quales ego mane rosas procedere uidi
Aus. 2 spirabat croceo mane reuecta dies

Flor. 11,2 nascebantur adhuc
Aus. in titulo: de rosis nascentibus

Flor. 11,3 prima papillatos ducebat tecta corymbos
Aus. 25 haec uiret angusto foliorum tecta corymbo

Flor. 11,5 calathi patefecerat orbem
Aus. 31 calathi patefecit honorem
Hic imprimis locus et is qui sequitur summi momenti sunt.

Flor. 11,8 dum uirgineus pudor exinuatur amictu
Aus. 29 uertice collectos illa exsinuabat amictus
Idem uerbum »exsinuare« apud Prudent. perist. 11,222 et apud Paul. Nol. epist. 49,3 p. 392,15 H.; conf. Lachmannum ad Prop. 4,14,3 p. 296.

Flor. 11,9 ne pereant lege mane rosas: cito uirgo senescit
Aus. 49sq. collige, uirgo, rosas, dum flos nouus et noua pubes,
et memor esto aeuum sic properare tuum.

Sed hic quoque obliuisci non licet Ausonium, si illi uersus uere Floriani, hi uere Ausoniani sunt, uix Flori ipsius libro usum esse, sed carmina illa in anthologia quadam legisse, quippe quae nunc quoque in Anthologia Latina extent. Graeca quidem anthologia epigrammatum eum usum esse constat.[1])

De **Peruigilio Veneris**[2]) paucis licet absoluere. Nam ubicumque quaerimus, nullus huius carminis locus insignem Ausoni similitudinem prae se fert. Veluti expectaueris fortasse Ausonium Peruigili uersus 13—26 ubi de rosis agitur ante oculos habuisse, cum carmen »de rosis nascentibus« scriberet; sed quamquam singula uerba saepe eadem sunt, tamen tanta similitudo quantam Ausonio cum Flori

[1]) conf. Stahl, de Ausonianis studiis poetarum Graecorum, diss. Kiliensis 1886 p. 27 sqq., imprimis p. 40.
[2]) Anth. Lat. 200 R.

uersibus esse modo uidimus, nusquam apparet. Itaque eos locos qui simillimi sunt adferam, ut manifestum sit ex eis nihil concludi posse:

Peru. 14 surgentes papillas (florum)
Aus. 94,1 (222 S. 348 P.) turgentes . . . papillas (Hermionae)
Peru. 92 sic Amyclas cum tacerent perdidit silentium
Aus. 205,6 (65 S. 63 P.) taciturne, Amyclas qui silendo uiceris
Aus. 418, 26 (188 S. 286 P.) tu uelut Oebaliis habites taciturnus Amyclis

conf. Hirschfeldium apud Pauly-Wiss. I p. 1997, 5 sqq., Thesaurum l. L. I p. 2026 s. u. Amunclae.

Quae cum ita sint, censeo Ausonium Peruigilium Veneris aut omnino non legisse aut certe non tanti aestimasse, ut imitaretur.

§ 8. Apuleius M. Aurelius Alphius Auitus Marianus comparantur cum Ausonio.

Ex **Apulei** operibus hic uersus[1]) tantum in censum uenire posse apparet. Ac primum quidem simillima sunt Apulei fr. 1

sed fuisti quondam Athenis parcus atque abstemius

et Ausoni uersus 205,9 (66 S. 63 P.)

probe et pudice, parce, frugi, abstemie.

Cum uero is qui Athenis »parcus atque abstemius« fuit nemo alius esse possit, nisi is qui ibi arti rhetoricae studuit, et cum Ausonius quoque carmine suo de rhetore et grammatico locutus sit, fieri potuit, ut uersum Apulei in animo haberet.

Eadem adnominatione quae nusquam alibi inuenitur usi sunt et Apuleius in fr. 3,4

hasce duas flammas, dum potiar, patiar

et Ausonius in 320,30 (35 S. 17 P.)

ne patiar turbas utque bonis potiar.

De Amore uolitante Apuleius (5,5) scripsit

qui pinnis uolitans super aethera cuncta fatigat,

Ausonius de homine somniante 157,9 (8 S. 14 P.)

subitis uolito super aera pinnis.

Ex **Alphi Auiti**[2]) fragmentis unum locum adferre liceat (2,3)

---

[1]) FPR p. 376 sqq.
[2]) FPR p. 383 sq.

»in campi patens«, cui similia sunt Pseud-Ausoni uerba[1]) »usque ad campi aperta«, tamen non ita ut de auctore et imitatore cogitare possimus.

Neque plus profecimus in **M. Aureli**[2]) et **Mariani**[3]) uersibus comparandis; nimis enim pauci sunt.

§ 9. Incertorum uersiculi uarii comparantur cum Ausonio.

Hac in paragrapho, quoniam fragmenta a Baehrensio conlecta[4]) num uere neoterica sint, non satis constat, et, licet neoterica sint, similitudines magni momenti esse non possunt, quod poetae ignoti sunt, nihil aliud quam quibusdam praemissis locos similes componam, et ita quidem ut aliorum quoque poetarum locos similes quos inuenire potui addam. Ceterum eis locis qui praecipue mihi memoratu digni sunt uisi, asteriscum* praefigam.

Inter uersiculos neotericorum Baehrensius ex Juliani episcopi Toletani »arte grammatica, poetica et rhetorica«[5]) duos uersus[6]) recepit quos eum omissurum fuisse puto, si sciuisset prorsus eosdem uersus scriptos inueniri in Prudenti cath. 9,113 et Ausoni epigr. 87,2 (219 S. 317 P.).

Versum epistulae 394,36 (163 S. 254 P.)

uilla Lucani- mox potieris -aco

quamquam ad exemplum Lucili se finxisse Ausonius ipse fatetur, tamen inter fragmenta Luciliana nullum extat in quo uerbum simplex simili modo rescissum sit;[7]) multo uero magis huc pertinet Inc. u. 17 quem saeculo tertio ineunte ortum esse inde concludere licet, quod imperator Eliogabalus commemoratur

Elio- nam -gabalus.

Iam reliqua ex ordine fragmentorum.

Inc. 3 pontibus instratis coniunxit litora Xerxes

Aus. Mos. 289 sq. (91 S. 132 P.) quis Chalcedonio constratum
ab litore pontum,
regis opus magni (miretur?)

Inc. 18 lactea sanguineis lilia mixta rosis

---

[1]) Perioch. Il. 16,4 (233 S. 387,9 P.).
[2]) FPR p. 376.
[3]) FPR p. 384.
[4]) FPR p. 388–404.
[5]) Gramm. Lat. ed. Keil, supplem. p. CCXXXVII uu. 15 et 19 et adn.
[6]) Inc. uu. 21 et 10.
[7]) conf. indicem metricum Lucili Marxiani s. u. »tmesis« uol. I p. 169.

Aus. 330,5 (127 S. 117 P.) puniceas confunde rosas et lilia misce
conf. Verg. Aen. 12,68 sq. mixta rubent ubi lilia multa alba rosa.

Inc. 29 tolle thyrsos, aera pulsa
Aus. 108,4 (224 S. 350 P.) principio tremulis gannitibus aera pulsat

Inc. 71 super agit aura mare ferens procul acatos biremis
Aus. 414,31 (185 S. 274 P.) acatis phaselis lintribus stlattis rate Tarnim ... permeat
Praeter incertum poetam et Ausonium Tertullianus solus utitur uerbo »acatus« genere feminino in libro adu. Marc. 5 c. 1=II 274[5] ed. Oehler, III 569,3 ed. Kroymann; conf. Weyman in Archiv für lat. Lexicographie uol. VII anni 1892 p. 534 sq.

Inc. 93 uocat Aetnae[1]) super altum caput acris choreas
Aus. 343, 49 sqq. (160 sq. S. 247 P.) qualis floricoma quondam populator in Aetna
uirgineas inter choreas Deoida raptam sustulit

Inc. 98 ut Echo sub antris canebat
Aus. 418,9 sq. (187 S. 285 P.) respondent et saxa homini et percussus ab antris
sermo redit

Inc. 99 uolabat superbus per auras Cupido
Aus. 325,45 sq. (123 S. 111 P.) caliginis umbram
dispulit inconsultus Amor stridentibus alis

Inc. 114 ueliuolis properat multisque citisque nauibus
Aus. 394,27 sq. (163 S. 253 P.) puppe citus propera sinuosaque lintea ueli pande

Inc. 123 auete, fontes caeruli
Aus. 298,29 (103 S. 153 P.) salue, fons ignote ortu, ... uitree, glauce, ...

Inc. 128 heu miserandae uolucris Martiae (scil. sagittae)
Aus. 1,11 (195 S. 321 P.) uix posuit uolucres stridentia tela sagittas

---

[1]) sic scribo cum editoribus Mari Victorini; Baehrens »uocat et Nysa per altum ...«

§ 10. Terentianus Maurus comparatur cum Ausonio.

Ausonium Terentiani Mauri libros »de litteris de syllabis de metris«[1]) non legisse pro certo habeo; nam quamquam Terentiani et Ausoni quae extant acerrime perscrutatus sum, tamen nullum locum inueni ubi Ausonium ex Terentiano pendere cum quadam uerisimilitudine dixerim, immo ubicunque Terentianus et Ausonius de isdem rebus egerunt, singula ita inter se differunt, ut nullam rationem inter utrumque intercedere manifestum sit. Veluti conferas quae Terentianus de libro suo, Ausonius de Gripho,[2]) quae uterque scripsit de origine iambi[3]) quo Apollo ad caedem Pythonis concitatus est.[4]) Tetrametro dactylico acatalecto quem Terentianus[5]) dicit solum posse

carmen componere plenum,
nec subiectum aliis dulcis absoluere epodos,

Ausonius nisi coniuncto cum trimetro dactylico usus non est.[6]) Praecipue uero digna sunt quae tractemus ea quae Ausonius ad Theonem de hendecasyllabis scripta misit.[7]) Tria adfert Ausonius genera hendecasyllaborum, quorum duo Terentianus plane diuersis locis,[8]) tertium omnino non tractauit. Praeterea Ausonius eum pedem quem nos uocamus epitritum, nominauit »hippium«,[9]) quod uerbum apud Terentianum non inuenitur, apud Diomedem[10]) molossum significat. Illud quidem silentio praeterire nolo in altero genere describendo idem uerbum »reuellere« apud utrumque extare:

Ter. Maur. 1942 sq. tum post semipedem ueniant duo fine
reuulsi
incolumi sermone pedes sine parte priorum

Aus. u. 88 sunt quos hexametri creant reuulsi

sed eodem uerbo in eodem metro tractando Victorinus[11]) quoque usus est.

---

[1]) Gramm. Lat. rec. Keil uol. VI p. 325—413.

[2]) T. M. uu. 1282—85: Aus. 335, 6—8 (128 S. 198 sq. P.).

[3]) T. M. uu. 1584 sqq.: Aus. 413, 10—13 (182 S. 271 P.)

[4]) T. M. u. 1593 uoces concitas laeti dabant: Aus. u. 13 tu (iambe) concitasti Delium.

[5]) uu. 2119 sq.

[6]) 184 (53 S. 45 P.); conf. supra p. 40 sub 19.

[7]) 393, 82—93 (162 S. 248 P.).

[8]) uu. 2575 sqq. et 1939 sqq.

[9]) l. s. u. 92.

[10]) 479, 5 K.

[11]) p. 120, 15 K.: si duobus pedibus integri dumtaxat sensus reuulsis ex cuiuslibet fine uersus hexametri conectas, propagabis uersum hendecasyllabum formae alterius.

Quae cum ita sint, ea quae fortasse quispiam pro similitudinibus habere possit, omni momento carent, ueluti si uterque iambum »acrem«[1]) uel »praepetem«,[2]) item Musas »nouem sorores«[3]) appellat, uel si Terentiani liber de litteris ex his uerbis initium capit (85)

Elementa rudes quae pueros docent magistri,

et Ausonius[4]) de professoribus quibusdam haec dicit

qui rudibus pueris
prima elementa dabat

et

qui primaeuos fandique rudes
elementorum prima docebas
signa nouorum.

§ 11. Serenus Sammonicus comparatur cum Ausonio.

Antequam singula adfero notandum est Ausonium in duobus carminibus ubi Serenum Sammonicum[5]) sequi poterat, eius libro non esse usum, neque in epigrammate[6]) »de Myrone qui Laidis noctem rogabat«, quocum conferendum est Sammonici caput IV »Capillo tingendo« (uu. 43 sqq.), neque in carmine »de ratione puerperii maturi«,[7]) qua de re Sammonicus locutus est in capite XXXII »Conceptioni et partui« (uu. 603 sqq.). Quamquam fortasse aliquis dixerit uerbis Sammonici uu. 618 sq.

at cui, cum menses octo ille moratus in aluo est,
iam rumpit thalamos et nexus soluit inertes

esse quandam similitudinem cum uerbis Ausoni uu. 34 sq.

quod nisi (Sol), septeno cum lumina fudit ab astro,
impulerit tardi claustra obluctantia partus,

quod utroque loco uterus cum conclaui praecluso comparatur. Sed Ausonium hoc loco Septimium Serenum lyricum imitatum esse supra[8]) uidimus. Tamen caueamus, ne ob has res iudicemus Ausonium omnino nihil ex Sereni Sammonici libro mutuatum esse; illud enim carmen nimis breue est, in hoc Ausonius secutus est Censorinum ideoque rem prorsus aliter tractauit atque Sammonicus.

---

[1]) T. M. u. 1383: Aus. 151, 24 (4 S. 6 P.).
[2]) T. M. u. 2182: Aus. 413, 14 (182 S. 271 P.).
[3]) T. M. u. 2514: Aus. 471, 11 (120 S. 86 P.).
[4]) 200, 32 (64, 36 S. 60, 36 P.) et 211, 4 (68 S. 67 P.).
[5]) Poet. Lat. min. ed. Baehrens uol. III p. 103—158.
[6]) 17 (200 S. 326 P.), imprimis uu. 3 sq.
[7]) 369 (155 S. 95 P.).
[8]) p. 47.

Reliqua satis erit adferre tantum.

*Ser. Samm. 1 sqq. Phoebe, salutiferum quod pangimus adsere carmen . . .
tuque potens artis . . .
conf. Verg. Aen. 4,607 sq. Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras,
tuque harum interpres curarum et conscia Juno
Aus. 1,1 sq. (194 S. 320 P.), in initio epigrammatum librorum $\omega = Z$: Phoebe potens numeris . . . tu quoque . . .
conf. praeterea Inc. u. 109 Phoebe, carminum potens
et Inc. u. 66 Phoebe, tu lyra sonante . . .

S. S. 1 salutiferum quod pangimus adsere carmen
Aus. 418,4 (187 S. 285 P.) fausta salutigeris adscribens orsa libellis.

S. S. 3 sq. reduces qui tradere uitas nosti
Aus. 70, 2 (213 S. 340 P.) corporibusque nouis das reduces animas

S. S. 7 Tarpeias arces atque inclita templa
Aus. 289, 6 (99 S. 146 P.) templa Palatinaeque arces

*S. S. 83 atque hinc in calido percurres membra lauacro
Aus. 317, 21 (31 S. 18 P.) (ut spiritus) pigra immortali uegetaret membra lauacro

S. S. 428 inrita quae miseris permiscent gaudia fatis
Aus. 108, 15 (224 S. 351 P.) irrita uexato consumere gaudia lecto

*S. S. 616 ut facili uigeat seruata puerpera partu
Aus. 182, 17 (53 S. 44 P.) quattuor ediderat nunc functa puerpera partus
Aus. 325, 17 sq. (122 S. 110 P.) fulmineos Semele decepta puerpera partus deflet

*S. S. 798 purpura torretur conchyli perlita fuco
Aus. Mos. 309 (92 S. 133 P.) Ictinus magico cui noctua perlita fuco

*S. S. 915 tempora discernens quasi iustae pondere librae
Nihil huic uersui commune est cum Ausoni c. 368 (154 S. 94 P.) »de ratione librae«.
Aus. 417, 27 (191 S. 277 P.) acceduntque alienae pondera librae

*S. S. 937 et magis atque magis desint elementa figuris
Aus. 35, 7 (79 S. 84 P.) truncatis conuulsa iacent elementa figuris

*S. S. 981 ne prosint placidi caelestia munera somni

Aus. Perioch. Il. 2, 2 (228 S. 379, 4 P.) tranquilla obscuri carpebant munera somni

*S. S. 982 carta igitur uariis pinxit quam littera uerbis.

Aus. 392, 15 (159 S. 255 P.) iricolor uario pinxit quas pluma colore

Eadem uerba inueniuntur prorsus eisdem hexametri locis.

Haec omnia si reputo, uerisimillimum mihi uidetur Ausonium Sereni Sammonici librum medicinalem legisse et ita memoria tenuisse, ut uerba quaedam ex eo sumeret, uel fortuito, uel, quod magis mihi placet, si Sereni u. 982 specto, consulto.

§ 12. Nemesianus comparatur cum Ausonio.

Ausonium Nemesiani[1]) cynegetica legisse constat ex ipsius uerbis[2]): »mirabamur poetam, ... qui ita collegerat, ut diceret in equitando uerbera et praecepta esse fugae et praecepta sistendi«, quae aperte spectant ad Nemesiani uersum[3])

uerbera sunt praecepta fugae, sunt uerbera freni.

Itaque primum cynegetica cum Ausonio comparabimus, tum uidebimus, sitne idem de eclogis iudicandum.

Nem. cyn. 33 miratumque (Terea) rudes se tollere ad aera pinnas

sic Baehrensius lectionem codicis A mutauit, et fortasse haec scriptura comprobatur loco Ausoniano; Postgatius cum codice C »se tollere Terea«.

Aus. 157, 9 (8 S. 14 P.) subitis uolito super aera pinnis

*Nem. cyn. 55 inter harundineas segetes faelemque minacem

Aus. 325, 6 (121 S. 110 P.) inter harundineasque comas grauidumque papauer.

Nem. cyn. 76 haec uobis nostrae libabunt carmina Musae

Aus. Mos. 443 sq. (96 S. 139 P.) fas mihi sacrum perstrinxisse amnem tenui libamine Musae

*Nem. cyn. 89 sint aurea tela, sagittae

Aus. 1, 11 (195 S. 321 P.) stridentia tela, sagittas

conf. p. 58.

Nem. cyn. 104 sq. cum Ianus temporis auctor pandit inocciduum bis senis mensibus aeuum

---

[1]) Poet. Lat. min. ed. Baehrens uol. III p. 174—204. Nouissimam editionem fecerunt Henricus Schenkl et Joh. P. Postgate in Postgati Corpore poetarum Latinorum uol. II p. 565—572.

[2]) grat. act. 65 (27 S. 369, 419 sqq. P.).

[3]) cyn. 268.

Aus. 323, 26 (40 S. 259 P.) Idus saepe colas bis senis mensibus omnes

*Nem. cyn. 115 sq. dum laeto flore iuuentas corporis
Aus. 172, 5 (48 S. 38 P.) iuuentae flore laeto perfrui

Nem. cyn. 165 sq. neque uincula collo impatiens circumdederis
Aus. Mos. 42 (83 S. 120 P.) intendunt collo malorum uincula nautae
conf. Verg. Aen. 2, 236 sq. stuppea uincula collo intendunt

*Nem. cyn. 179 iam cum bis denos Phoebe reparauerit ortus
Aus. 379, 1 (11 S. 99 P.) bis senas anno reparat Lucina kalendas
conf. Ouid. met. 1, 11 nec noua crescendo reparabat cornua Phoebe

Nem. cyn. 188 emeritae laudem uirtutis amare
Aus. 299, 9 (104 S. 169 P.) nouit equus plausae sonitum ceruicis amare
conf. praeterea Aus. 342, 6 (135 S. 160 P.) disque inserit emeritos laus

*Nem. cyn. 207 et Aus. 396, 8 (164 S. 250 P.) soli exhibent uerbum »ignicomus«, uterque de sidere, ille de sole, hic de leone; item stellas »ignicomantes« dixit Auien. Arat. 1112 et 1413.

Nem. cyn. 220 lactis liquidos . . . fluores
Aus. Mos. 366 (94 S. 135 P.) Salmonae . . . fluores
Aus. Mos. 446 (96 S. 139 P.) sacros qui sollicitare fluores Aonidum . . . solent

Ad Ausoni u. 366 Hosius in ed. Mosellae haec adnotat: »fluores selten früher, ausser in der medicinischen Sprache; im weiteren Sinne gebraucht es zuerst Nemes. cyn. 220«. Hoc mihi uidetur falsum esse; nam ante Nemesianum uerbo fluor utitur Apul. Flor. 10 p. 348, 18 »amnium fluores« et haud multum alio sensu in libro de magia c. 15 p. 18, 7 ed. Helm: »profectae a nobis imagines uelut quaedam exuuiae iugi fluore a corporibus manantes«, praeterea eadem fere aetate qua Nemesianus scripsit, Solinus 18, 2 »omnem illum fluorem (marium mediterraneorum) aiunt a Ponticis faucibus inundare«.

*Nem. cyn. 267 lentae moderamine uirgae
Aus. Mos. 248 (90 S. 130 P.) lentae conexa cacumina uirgae

*Nem. cyn. 269 promissi spatiosa per aequora campi
conf. Verg. Aen. 7, 781 haut setius aequore campi exercebat equos.

Aus. Perioch. Il. 2, 2 (228 S. 379, 4 P.) tranquilla obscuri carpebant munera somni

*S. S. 982 carta igitur uariis pinxit quam littera uerbis.

Aus. 392, 15 (159 S. 255 P.) iricolor uario pinxit quas pluma colore

Eadem uerba inueniuntur prorsus eisdem hexametri locis.

Haec omnia si reputo, uerisimillimum mihi uidetur Ausonium Sereni Sammonici librum medicinalem legisse et ita memoria tenuisse, ut uerba quaedam ex eo sumeret, uel fortuito, uel, quod magis mihi placet, si Sereni u. 982 specto, consulto.

§ 12. Nemesianus comparatur cum Ausonio.

Ausonium Nemesiani[1]) cynegetica legisse constat ex ipsius uerbis[2]): »mirabamur poetam, ... qui ita collegerat, ut diceret in equitando uerbera et praecepta esse fugae et praecepta sistendi«, quae aperte spectant ad Nemesiani uersum[3])

uerbera sunt praecepta fugae, sunt uerbera freni.

Itaque primum cynegetica cum Ausonio comparabimus, tum uidebimus, sitne idem de eclogis iudicandum.

Nem. cyn. 33 miratumque (Terea) rudes se tollere ad aera pinnas

sic Baehrensius lectionem codicis A mutauit, et fortasse haec scriptura comprobatur loco Ausoniano; Postgatius cum codice C »se tollere Terea«.

Aus. 157, 9 (8 S. 14 P.) subitis uolito super aera pinnis

*Nem. cyn. 55 inter harundineas segetes faelemque minacem

Aus. 325, 6 (121 S. 110 P.) inter harundineasque comas grauidumque papauer.

Nem. cyn. 76 haec uobis nostrae libabunt carmina Musae

Aus. Mos. 443 sq. (96 S. 139 P.) fas mihi sacrum perstrinxisse amnem tenui libamine Musae

*Nem. cyn. 89 sint aurea tela, sagittae

Aus. 1, 11 (195 S. 321 P.) stridentia tela, sagittas

conf. p. 58.

Nem. cyn. 104 sq. cum Ianus temporis auctor pandit inocciduum bis senis mensibus aeuum

---

[1]) Poet. Lat. min. ed. Baehrens uol. III p. 174—204. Nouissimam editionem fecerunt Henricus Schenkl et Joh. P. Postgate in Postgati Corpore poetarum Latinorum uol. II p. 565—572.

[2]) grat. act. 65 (27 S. 369, 419 sqq. P.).

[3]) cyn. 268.

Aus. 323, 26 (40 S. 259 P.) Idus saepe colas bis senis mensibus omnes

*Nem. cyn. 115 sq. dum laeto flore iuuentas corporis
Aus. 172, 5 (48 S. 38 P.) iuuentae flore laeto perfrui

Nem. cyn. 165 sq. neque uincula collo impatiens circumdederis
Aus. Mos. 42 (83 S. 120 P.) intendunt collo malorum uincula nautae
conf. Verg. Aen. 2, 236 sq. stuppea uincula collo intendunt

*Nem. cyn. 179 iam cum bis denos Phoebe reparauerit ortus
Aus. 379, 1 (11 S. 99 P.) bis senas anno reparat Lucina kalendas
conf. Ouid. met. 1, 11 nec noua crescendo reparabat cornua Phoebe

Nem. cyn. 188 emeritae laudem uirtutis amare
Aus. 299, 9 (104 S. 169 P.) nouit equus plausae sonitum ceruicis amare
conf. praeterea Aus. 342, 6 (135 S. 160 P.) disque inserit emeritos laus

*Nem. cyn. 207 et Aus. 396, 8 (164 S. 250 P.) soli exhibent uerbum »ignicomus«, uterque de sidere, ille de sole, hic de leone; item stellas »ignicomantes« dixit Auien. Arat. 1112 et 1413.

Nem. cyn. 220 lactis liquidos . . . fluores
Aus. Mos. 366 (94 S. 135 P.) Salmonae . . . fluores
Aus. Mos. 446 (96 S. 139 P.) sacros qui sollicitare fluores Aonidum . . . solent

Ad Ausoni u. 366 Hosius in ed. Mosellae haec adnotat: »fluores selten früher, ausser in der medicinischen Sprache; im weiteren Sinne gebraucht es zuerst Nemes. cyn. 220«. Hoc mihi uidetur falsum esse; nam ante Nemesianum uerbo fluor utitur Apul. Flor. 10 p. 348, 18 »amnium fluores« et haud multum alio sensu in libro de magia c. 15 p. 18, 7 ed. Helm: »profectae a nobis imagines uelut quaedam exuuiae iugi fluore a corporibus manantes«, praeterea eadem fere aetate qua Nemesianus scripsit, Solinus 18, 2 »omnem illum fluorem (marium mediterraneorum) aiunt a Ponticis faucibus inundare«.

*Nem. cyn. 267 lentae moderamine uirgae
Aus. Mos. 248 (90 S. 130 P.) lentae conexa cacumina uirgae

*Nem. cyn. 269 promissi spatiosa per aequora campi
conf. Verg. Aen. 7, 781 haut setius aequore campi exercebat equos.

Aus. 252, 1 (79 S. 84 P.) clamosi spatiosa per aequora circi

Nem. cyn. 306 magnosque sues ceruosque fugaces
Verg. georg. 3, 539 = Aus. cent. nupt. 352, 19 (142 S. 210 P.) dammae ceruique fugaces

Nem. cyn. 317 et Aus. 168, 14 (46 S. 35 P.) exhibent uocem raram mage.

Nem. ecl. 1, 3 si quod habes gracili sub arundine carmen
Aus. 1, 13 (195 S. 321 P.) et commutata meditatur harundine carmen
conf. Ouid. met. 11, 154 et leue cerata modulatur arundine carmen

Nem. ecl. 1, 19 emeritae permensum tempora uitae
Aus. Mos. 452 (96 S. 139 P.) emeritae post munera disciplinae
conf. H. de la Ville de Mirmont, de Ausonii Mosella, Parisiis 1892, p. 292, et praeterea Nem. cyn. 188 supra p. 63 adlatum.

Nem. ecl. 1, 19 et 1, 45,
Aus. 159, 17 (41 S. 29 P.), 177, 11 (50 S. 41 P.), 369, 6 (155 S. 95 P.): ubique »tempora uitae« in exitu uersus; conf. Ouid. ex pont. 3, 2, 29 et Hosium in Mus. Rhen. 50 (1895), 300.

Nem. ecl. 1, 56 sq. mite serena fronte supercilium
Nem. ecl. 4, 17 quid uultu mentem premis ac spem fronte serenas?
conf. Verg. Aen. 4, 477 consilium uultu tegit ac spem fronte serenat
Aus. Mos. 384 sq. (94 S. 136 P.) laetum fronte serena ingenium

Nem. ecl. 2, 81, Aus. 176, 9 (50 S. 40 P.), 207, 11 (67 S. 64 P.), 322, 73 (39 S. 265 P.), 323, 8 et 18 (40 S. 258 sq. P.): ubique »puberis aeui« in exitu uersus.

Nem. ecl. 3, 41 decerpunt uitibus uuas
Aus. 392, 3 (158 S. 254 P.) rapuit de uitibus uuas
conf. Stat. silu. 2, 2, 103 Nereis et dulcis rapuit de collibus uuas
Ouid. am. 1, 10, 55 carpite de plenis pendentes uitibus uuas
Nem. ecl. 4, 48 purpureae fetis dependent uitibus uuae

*Nem. ecl. 4, 33 uer erat et uitulos uidi sub matribus istos

Aus. 361, 1 (243 S. 409 P.) uer erat et blando mordentia
frigora sensu . . .
conf. Ouid. fast. 5, 201 uer erat, errabam

Apparere puto rem in eclogis plane aliter se habere atque in cynegeticis; illic enim octo locis asteriscos praefigere potuimus, hic uni tantum et fortasse ne huic quidem iure, quamquam certe Ausonius, si res ab utroque tractatas spectamus, ex eclogis plura sumere poterat, quam ex carmine de rebus uenaticis, de quibus raro locutus est. Itaque liceat mihi censere Ausonium Nemesiani eclogas omnino non legisse. Quod si uerum est, sequitur iam quarto saeculo ut hodie Nemesiani carmina non uno libro fuisse comprehensa.

§ 13. Tiberianus comparatur cum Ausonio.

Tib.[1]) 1, 2 luce ridens calculorum
Aus. Mos. 66 sq. (84 S. 121 P.) lucetque latetque calculus
*Tib. 1, 3 sq. uirecta myrtea
leniter motabat aura blandiente sibilo
Aus. Mos. 258 (90 S. 130 P.) aura crepat motoque adsibilat
aere uentus
conf. Seren. fr. 5 suaue sibilum
Tib. 1, 12 fonte crebro murmurabant hinc et inde riuuli
Aus. 418, 11 (187 S. 285 P.) dant murmura riui
Aus. 325, 7 (121 S. 110 P.) sine murmure riuos
conf. Hor. epist. 1, 10, 21 aqua . . . per pronum trepidat
cum murmure riuum
Ouid. rem. am. 177 adspice labentes iucundo murmure
riuos
Nemes. ecl. 4, 47 hic tibi lene fluens fons murmurat

Postquam carmen 1 Tiberiani absoluimus, adnotandum est hoc carmen et carmen »de rosis nascentibus« nullis uinculis coniuncta esse, nisi forte putes similes esse uersus

Tib. 1, 9 sq. omnium . . . colorum Lucifer
aureo flore eminebat . . . rosa
Aus. 361, 11 sq. uidi Paestano gaudere rosaria cultu
exoriente nouo roscida lucifero

Tib. 2, 5 aurum . . . rumpitque pudorem
Aus. 157, 13 (8 S. 14 P.) rupta pudore quies

[1]) Poet. Lat. min. ed. Baehrens uol. III p. 263—269.

Tib. 3, 1 sqq. ales dum madida grauata nube
udos tardius explicat uolatus
decepta in medio repente nisu
capta est pondere depremente plumae
cassato solito uigore pennae
Aus. 325, 51 sqq. (123 S. 112 P.) agnoscunt tamen et uanum uibrare uigorem
occipiunt hostemque unum loca non sua nactum,
cum pigros ageret densa sub nocte uolatus,
facta nube premunt. trepidantem et cassa parantem
suffugia in coetum mediae traxere cateruae
conf. Verg. Aen. 12, 253 sqq. aetheraque obscurant (litoreae aues) pinnis hostemque (aquilam) per auras
facta nube premunt, donec ui uictus et ipso
pondere defecit

*Tib. 4,1 omnipotens, annosa poli quem suspicit aetas
conf. Claud. Vict. aleth. prec. 2 sq. omnipotens quem nec subtili indagine rerum
mentibus humanis sensu comprendere fas est
Aus. 153,1 (4 S. 7 P.) omnipotens, solo mentis mihi cognite cultu
conf. Sedul. paschal. carm. 1,60 omnipotens aeterne Deus, spes unica mundi
*Tib. 4,3 nec numero quisquam poterit pensare nec aeuo
Aus. 153,5 (5 S. 7 P.) nec mens conplecti poterit nec lingua profari
Tib. 4,4 nunc esto affatus
conf. Mart. Cap. 7,731 prae cunctis igitur adfata sacra Monas esto
Stat. Theb. 6,51 ille quoque adfatus non mollius audit amicos
Apul. met. 11,19 adfatisque igitur ex officio singulis narratisque meis ... aerumnis
Aus. 178,1 (51 S. 41 P.) tuque Pudentillam uerbis adfare supremis
conf. Sil. 10,571 (Hannibal) supremo adfatur honore
*Tib. 4,6 sistunt rapidos uaga sidera cursus
Aus. 365 A,6 (153 S. 94 P.) (donec) rursus in anticum ueniant uaga sidera cursum
Tib. 4,25 augusto stellatus flore iuuentae
Aus. 172,5 (48 S. 38 P.) iuuentae flore laeto perfrui

Aus. 173,3 (48 S. 38 P.) occidis in primae raptus mihi flore iuuentae

Stati et Sili uersus conferendos attulit Peiperus p. 444.

*Tib. 4,27 da nosse uolenti

conf. Claud. Vict. aleth. prec. 103 da nosse precanti

Aus. 222,2 (73 S. 74 P.) omnia nosse uolens

*Tib. 4,28 da, pater, augustas ut possim noscere causas

Aus. 153,58 (6 S. 10 P.) da, pater, haec nostro fieri rata uota precatu

Aus. 153,31 (5 S. 8 P.) da, pater, inuictam contra omnia crimina mentem

Aus. 153,43 (6 S. 9 P.) da, pater, aeterni speratam luminis auram

Tib. fr. 5 aureos subducit ignes sudus ora Lucifer

Aus. 157,39 (9 S. 15 P.) dum redeat roseo mihi Lucifer aureus ortu

Quae cum ita sint, Ausonium Tiberiani carmen quartum imitatum esse constare puto; de ceteris dubitare licet.

§ 14. Vespa Reposianus Pentadius comparantur cum Ausonio.

Vespa[1]) 8 his est Vulcanus iudex, qui nouit utrosque

Aus. 28,3 (204 S. 330 P.) dicere me nouit uerum, qui nouit utrumque

Rep.[2]) 9 ut mage flammantes possis laudare sagittas

Aus. 350,2 (140 S. 206,6 P.) quod ridere magis, quam laudare possis

De »mage« conf. Nem. cyn. 317 p. 64.

*Rep. 22 inter delicias roseo prope liuida serto

Aus. 325,88 sq. (124 S. 113 P.) roseo Venus aurea serto maerentem pulsat puerum

*Rep. 33 sq. lucus erat Marti gratus post uulnera Adonis pictus[3]) amore deae

Aus. 325, 11 (122 S. 110 P.) et murice pictus Adonis

---

[1]) Vespae iudicium coci et pistoris iudice Vulcano: Anth. Lat. 199 R.

[2]) Reposiani de concubitu Martis et Veneris: Anth. Lat. 253 R.

[3]) sic Salmasianus; »dictus« uel »lectus« uel »dignus« Wernsdorf, »huius« Baehrens, »laetus?« Riese.

Rep. 40 habent sua munera rami
Aus. 418,18 (188 S. 285 P.) habet et sua sibila serpens
Rep. 55 purpureum decerpens pollice florem
Aus. 220,5 (73 S. 74 P.) purpureum claro de sanguine florem
conf. Ouid. met. 13,394 sq.
Rep. 176 sq. stat Mauors lumine toruo
atque indignatur, quod sit deprensus adulter
Aus. 325,84 sq. (124 S. 113 P.) quod uincula caeca mariti
deprenso Mauorte tulit
conf. Ouid. am. 1,9,39 Mars quoque deprensus fabrilia
uincula sensit

Pentadi[1]) carmen 234 »de fortuna« et Ausoni edyllion 362 (147 S. 87 P.) »Pythagoricum de ambiguitate eligendae uitae« in eo similia sunt, quod utroque carmine semper eiusdem rei et commoda et damna comparantur.
Pent. 266,1 hic est ille suis nimium qui credidit undis
Aus. 393,103 (162 S. 249 P.) hic est ille Theon poeta falsus

Ex his locis aliquid concludi posse non puto, quamquam Ausonium Reposiani carmen fortasse legisse haud negauerim; sed tantillae sunt similitudines, ut certi quicquam ne hic quidem erui possit.

[1]) Anth. Lat. 234. 235. 265—268 R.

Index metrorum.

adonius 19 sq.
Aeschrionium 12
anapaestica stropha 39
Archilochius maior 25
— cum anacrusi 11
Archilochia stropha prima 40
Aristophanius 19
Asclepiadeus maior 26
— minor 26. 38
dim. anapaest. acat. 39
— — catal. 16 sq. 39
— — clausus bacchio 11
— choriamb. 26 sq.
— dact. catal. 19 sq.
— iamb. acat. 11 sq. 33. 36. 37. 41 sq.
— — — claudus 13
— — catal. 12
— ion. anacreonteus 12. 33
— troch. catal. 14 sq.
distichon elegiacum 11. 40
galliambus 29
glyconeus 16
hendecasyllabus Phalaecius 16. 38
— dactylicus 28
heptam. dact. catal. in unam syll. 24
heptapodia anapaestica 24 sq.
hexam. choriamb. 27
— dact. 22. 40
— — cum dim. iamb. 41
— — — trim. dact. catal. 40 sq.
— — paenultima conrepta 22 sqq.
ludicra: anacylici 31, echoici 31, reciproci 30, recurrentes 31, rhopalici 35, tmesis 57
monom. anapaest. 38 sq.
paroemiacus 16 sq. 39
pentam. choriamb. 27
— dact. aeolicus 11
— elegiacus 24. 40
priapeum 11
Pythiambica stropha prior 41
Sapphica stropha 38
saturnius 11
Sotadeus 29
tetram. anapaest. catal. 19
— choriamb. 27. 38
— creticus 29 sq.
— dact. acat. 11
— — — cum trim. dact. catal. 40. 59
— — catal. in unam syll. 20 sqq. 40
— — — — duas syll. 23
— — — — — — paenultima conrepta 23 sq.
— iamb. acat. 11
— — catal. 11
— ion. a min. 29
— proceleumaticus 17 sq. 39
— troch. catal. 15. 19. 37 sq.
— — — cum trim. iamb. 38
trim. anapaest. catal. 18
— dact. catal. 39. 40
— iamb. 11. 36. 37. 38. 41 sqq.
— mere iamb. 22
— iamb. cum dim. iamb. 11. 37
— — catal. 11
— — Hipponacteus 13. 37
— ion. a min. 28 sq.
— troch. catal. 11

Index locorum.

De notis soluendis conf. indicem Thesauri l. L.

Aelius Verus: 10
Alciphro 1, 6: 48
Alf. Auit. carm. frg. 2, 3: 56 sq.
Ambrosius: 34
Anacreontea: 33
Annian. carm. frg. 1: 50 2: 50. 51 3: 45. 50 sqq. Fescennini 50 sqq.
Anth. Lat. 234: 68 266, 1: 68 325, 3: 32 392 sq.: 53 sq.
Anth. Pal. 7, 116: 17 sq. 7, 207: 46 11, 193: 7
Anth. Plan. 384: 37
Apul. apol. 15: 63 carm. frg. 1. 3, 4. 5, 5: 56 flor. 10 p. 348: 63 met. 11, 19: 66 de *Ἀνεχομένῳ* uid. Anth. Lat. 712
Aristoph. fr. 698: 17
Ps. Ascon. diu. in Caec. p. 105: 7
Aug. mus. 4, 30: 51
Auien. Arat. 1112 et 1413: 63
Aurelius, M.: 57
Ps. Aur. Vict. orig. argum.: 7
Ausonius: 34 sq. 1, 1 sq.: 61 1, 11: 58. 62 1, 13: 64 17: 54. 60 28, 3: 67 30, 1: 41 35, 7: 61 68, 1: 42 70, 2: 61 87, 2: 57 94, 1: 56 108, 4: 58 108, 15: 61 117, 1: 41 151—157: 45 sq. 151, 24: 60 152, 10. 17: 41 153, 1. 5: 66 153, 31. 43. 58: 67 157, 9: 56. 62 157, 13: 65 157, 39: 67 159, 17: 64 168, 14: 64 172, 5: 63. 66 173, 3: 67 176, 9: 64 177, 11: 64 178, 1: 66 182, 17: 61 184: 59 186: 18. 46 197, 5 sqq.: 53 200, 13. 16: 39 200, 32: 60 205, 1: 42 205, 6: 56 205, 9: 56 205, 13: 42 207, 11: 64 211, 4: 60 220, 5: 68 222, 2: 67 252, 1: 64 289, 6: 61 298, 29: 58 299, 9: 63 300—308: 36 303, 13: 50 313, 2. 3: 37 317, 6: 49 317, 21: 61 317, 25: 49 318, 4: 44 320, 30: 56 322, 73: 64 323, 8. 18: 64 323, 26: 63 325 (Cupido cruc.) 6: 62; 7: 65; 11: 67; 17: 61; 37 sqq.: 54; 45 sq.: 58; 51 sqq.: 66; 77: 54; 84 sq.: 68; 88 sq.: 67 329: 49 330, 5: 58 332, 37: 49 333, 5: 49 334 (Mosella) 42: 63; 66: 65; 83 sq.: 49; 176: 48 sq.; 248: 63; 258: 65; 289 sq.: 57; 309: 61; 366: 63; 384: 64; 400: 49; 443 sq.: 62; 446: 63; 452: 64 335, 6 sqq.: 59 342, 6: 63 343, 49 sqq.: 58 350, 2: 67 352, 19: 64 360, 1: 41. 53 360, 2: 50 sqq. 360, 3: 53 361: 54 sq. 55 361, 1: 65 361, 11 sq.: 65 362: 68 365 A, 6: 66 368: 61 369: 60 369, 6: 64 369, 34 sq.: 47. 60 377, 2: 49 379, 1: 63 384: 37 392, 3: 64 392, 15: 62 393, 82—93: 59 393, 88 sqq.: 28 393, 103: 68 394, 27: 58 394, 36: 57 396, 8: 63 396, 19: 37 400, 3: 44 404, 12: 42 406, 22: 41 406, 28: 49 406, 62. 76: 41 406, 91: 36 413, 10 sqq.: 59 413, 14: 60 413, 23. 39: 42 414, 23: 41 414, 31: 58 414, 43. 47: 41 417, 27: 61 418, 4: 61 418, 9 sq.: 58 418, 11: 65 418, 13—16: 47 418, 18: 68 418, 19: 49 418, 20 sq.: 48 418, 26: 56 grat. act. 65: 62 Perioch. Il. 2, 2: 62; 16, 4: 57 471, 11: 60 or. uers. rhop.: 35
Bassus: 30; gramm. VI 265, 1—3: 17 sq.
Boethius: 34 cons. I carm. 2: 28 II c. 1: 52 III c. 1: 52; c. 6: 21; c. 11: 52 V c. 2: 23
carm. epigr. 1523: 34 1524: 16. 34
Cass. Seu. or.: 14

Catull. 63, 21: 48
Cic. Att. 7, 2, 1: 8 epist. lib. XV: 13
Claud.: 34 fesc. 2 (12): 27 sq. rapt. Pros. 1, 205 sqq.: 48
Claud. Mam. anim. p. 30, 6: 7
Colum. 4, 10, 2: 52
Cratin. fr. 325: 26
Ps. Damas.: 34
Diog. Laert.: 33 6, 79: 17. 46 8, 91: 29
Diom. gramm. I 378, 20: 14 479, 5: 59 511, 18: 25 514, 23: 6 515, 14: 21 516, 24: 6 517, 3: 7. 31 517, 34: 24 sq. 518, 9: 29
Drac.: 34
Ennod.: 34
Epiced. Drusi 435: 48
epigr. Graec. conl. Kaibel 613: 17 1124: 31 sq.
Eugen. Tolet.: 34 79: 28 sq.
Flaminius Vacca 111: 29 sq.
Flor. 1, 1: 33 3, 1: 38 4, 3: 38 10 et 11: 54 sq. 12 et 13: 54
Fortun. gramm. VI 288, 8: 19
Frg. Bob. gramm. VI 622, 22: 15 623, 31: 50 sq.
Fronto poeta: 10
Gell. 9, 10, 1: 53 13, 27, 3: 5
Greg. M.: 34
Hadr. carm. frg. 2: 53 3: 46 conf. etiam Anth. Lat.
Hephaest. p. 27, 20 W.: 18 29, 3: 17 sq. 42, 3. 6. 14: 30
Hier. in Gal. 3, 5 p. 508: 7
Hom. Il. Γ 182: 35
Hor. epist. 1, 10, 21: 65
Hos. Geta Med.: 34 42 et 295: 16
Inc. uu.: passim in § 9 p. 57 sq. 10: 57 17: 57 21: 57 31: 6. 29 38: 43 41: 42 sq. 49: 42 sqq. 53: 39 55. 56: 19 58—60: 18 sq. 61: 18 62: 19 63: 47 66: 61 70: 19 sq. 109: 61 117: 25 153: 15 159: 23 169: 30 170: 30 171: 30 173: 31 174: 31
Julian. Tolet. ars gramm. p. CCXXXVII: 57
Laeu. carm. frg. 4, 3 et 15, 2: 11
Liu. Andr. Trag. Rom. fr.^{3} p. 5 R.: 22. 24
Lucian. Tragodopod. 312 sqq.: 22. 23 sq.
Lucilius: 57
Luxor.: 34 anth. 291, 7: 15
Mall. Theod. gramm. VI 590, 6: 26
Marian.: 57
Mar. Victor aleth. praef. 2 sq.: 66 103: 67
Mar. Victorin. gramm. VI 53, 11: 17 77, 14—78, 18: 18 86, 24: 19 sq. 97, 4: 43 113, 11: 30 120, 15: 59 122, 15: 51 123, 20: 51 126, 30: 25
Mart. 1, 4, 8: 52. 53 2, 86, 1: 30
Mart. Cap.: 34 7, 731: 66
Nemes. ecl.: passim in § 12 p. 64; 1, 45: 64; 4, 17: 64; 4, 47: 65; 4, 48: 64 cyn.: passim in § 12 p. 62 sqq.; 188: 64; 268: 62
Non. p. 539, 17: 13
oracula Apollinis Clarii: 19
Ouid. am. 1, 9, 39: 68; 1, 10, 55: 64 fast. 5, 201: 65 met. 1, 11: 63; 1, 706 sq.: 47; 11, 154: 64; 13, 394 sq.: 68 Pont. 3, 2, 29: 64 rem. 177: 65
Oxyrhynchitae mimi: *Μοιχ.* 187: 11 *Χαρ.* 97 sqq.: 19
Paul. Nol. epist. 49, 3: 55
Paulus poeta: 10
Pentad.: uid. Anth. Lat.
Peruig. Ven. 13—26: 55 sq. 23 sq.: 54 92: 56
Petron. 52, 7: 12
Phalaecus: 33
Plaut. Epid. 231: 13
Poet. Lat. min. ed. Baehrens III p. 169: 7
Poet. lyr. Gr. ed. Bergk III p. 742: 7
Pomp. gramm. V 232, 35: 6
Pompon. trag. frg. 5—7: 20 sq.
Priscian. gramm. II 380, 1 et 489, 3: 14 III 421, 5: 50 sq.
Probus apud Seru. ad Aen. 12, 605: 6
Prudent.: 34 cath. 9, 113: 57 perist. 1, 25: 15; 11, 222: 55; 13: 25
Quint. inst. 9, 4, 90: 30
Repos.: passim in § 14 p. 67 sq.
Rufin. gramm. VI 561, 11 et 562, 5: 43
Sacerd. gramm. VI 516, 25: 19 sq.
Sappho fr. 63: 20
schol. Iuu. 4, 2: 14
Sedul. carm. pasch. 1, 60: 66
Sen. Med. 849 sqq.: 12
Sept. Ser. carm. frg. 1: 13 2: 45 3: 14 4: 14 5: 65 6: 15 7: 29 9: 48 sq. 11: 44. 47 16. 17: 46 sq. 18: 26 19: 25. 48 sq. 21: 24. 40 22: 24 sq. 47 23: 49 24: 50
Ser. Samm.: passim in § 11 p. 61 sq. 43 sqq.: 60 603 sqq.: 60 618 sq.: 60
Seru. ad Aen. 4, 291: 51; 6, 187: 6; 6, 320: 6; 8, 731: 6; 10, 192: 6; 11,

590: 6; 11,715: 6; 12,605: 6 gramm. IV 465,6: 51
Sidon. Ap. epist. 9, 14, 4 et 6: 31 carm. 7, 79 sqq.: 54
Sil. 10, 571: 66
Simias Rhodius: 18. 33; ceterum conf. Hephaest.
Simonid. fr. 170: 30 sq.
Solin. 18, 2: 63
Spart. Hadr. 16, 6: 32 20, 8: 54
Stat. silu. 2, 2, 103: 64 Theb. 6, 51: 66
Ter. Maur. 85: 60 1282 sqq.: 59 1383: 60 1584 sqq.: 59 1816: 51 1889 sq.: 27 1920 sqq.: 22. 24 1939 sqq.: 28. 59 1969 sqq.: 8 1975 sqq.: 20. 44. 45 sq. 1982 sq.: 21 1992 sq.: 52 2001 sqq.: 50 sqq. 2119 sq.: 59 2159 sq.: 19 2182: 60 2240 sqq.: 9 2408 sqq.: 52 2514: 60 2528 sq.: 8. 26 2575 sqq.: 59 2641: 16
Tertull. adu. Marc. 5, 1: 58
Theocrit. fistula 11 sq.: 21
Tiberian.: 34; tum passim in § 13 p. 65 sqq. carm. 1, 7: 38 1, 9 sq.: 15 1, 14: 38
Timocreo fr. 10: 30 sq.
Timoth. fr. 7: 17 sq.
Tyrtaeus fr. 15: 16
Ven. Fort.: 34 carm. app. 5: 15
Verg. Aen. 1, 8: 30 1, 254: 50 2, 236 sq.: 63 4, 477: 64 4, 607 sq.: 61 7, 180: 49 7, 781 sq.: 63 11, 725: 50 12, 68 sq.: 58 12, 253 sqq.: 66 georg. 3, 539: 64
Vespa 8: 67
Voconius: 10

Typis expressit Robertus Noske Borneasis.

Vita.

Natus sum Johannes Kurt Wagner in uico Saxoniae cui nomen est Böhrigen, anno 1882 mensis Decembris die octauo patre Friderico Julio matre Aemilia Augusta e gente Reinhold quos ambos adhuc inter uiuos esse ualde gaudeo. Fidem profiteor euangelicam. Postquam Mittweidae, cum eo parentes transmigrassent, litterarum elementa didici et per duos annos scholam realem frequentaui, uere anni 1895 adii gymnasium regium Chemnitiense, quod nunc quoque Arnoldo rectore floret. Anno huius saeculi altero maturitatis testimonium adeptus almae matris Lipsiensis ciuibus ascriptus sum et ad philologiae archaeologiae geographiae studia me contuli. Docuerunt me uiri doctissimi: Berger †, Bethe, Brugmann, Gardthausen, M. Heinze, R. Heinze, Hofmann, Immisch, Jungmann, Kaerst, Köster, Lipsius, Marx, Partsch, Ratzel †, A. Schneider †, Sievers, Studniczka, Volkelt, Wachsmuth †, Wilcken, Wundt. Proseminario philologo interfui per ter senos menses auspiciis Immischi. Seminari philologi fui sodalis ordinarius per tria semenstria moderantibus Lipsio Marxio Wachsmuthio, archaeologi moderante Studniczka per septem semenstria, per quattuor senior, geographici moderante Partschio per tria semenstria. Benignissime mihi aditum aperuerunt ad seminarium paedagogicum Jungmann; ad proseminarium graecum Martini, ad germanicum Sievers; ad exercitationes archaeologicas Schneider et Studniczka, ad geographicas Friedrich, ad metricas Marx, ad eas quas de inscriptionibus latinis instituerunt Hirt et Marx. Quibus praeceptoribus omnibus maximas habeo gratias; praecipue uero eos uiros qui summa liberalitate studia mea fouerunt, cum Lipsium et Partschium, tum Marxium et Studniczkam, pio gratoque animo semper colam. Richardo quoque Heinze qui in hoc opere perficiendo benignissime me adiuuit, grates debitas ago. Denique non paruum fructum cepi ex eo quod anno 1904 nobilissimas Italiae urbes cum patre uidere mihi licuit. Carissimis autem cum sodalibus me in philologorum thiaso Lipsiensi amicitia coniunctum esse eisque multa debere laetus profiteor.

FEB 8 '72 H
4023474
BOOK DUE-WID
CANCELLED
JAN 31 1978
APR 20 1978

La 76.105
Quaestiones neotericae imprimis ad
Widener Library 007099657
3 2044 085 184 968